DE

POËSIS LATINAE

RHYTHMIS ET RIMIS,

PRAECIPUE

MONACHORUM.

LIBELLUS CONSCRIPTUS

PER

CHRIST. THEOPHIL. SCHUCH,

MAGISTRUM TRILINGUEM AD FONTES DANUBINOS.

Ῥυθμὸς μέτρου πατὴρ καὶ κανών.

Hephaestio.

DONAUESCHINGAE, MDCCCLI.

IMPENSIS LUD. SCHMIDT.

PRAEFATIUNCULA.

Quamquam non sum nescius fore aliquos, quibus meum non satis probetur judicium, quod ex tanto optimorum probatissimorumque numero voluminum praecipue monachorum, infimae quasique ultimae notae scriptorum, opuscula poëtica susceperim enucleanda et ad tempus interimque versificandi eorum rationem diligenter indagandam; imo vero etiam plerosque legentium fortasse rem de titulo contemturos nihil charta dignum potuisse fieri de rhythmis et rimis sermonis latini carminumque iis conditorum: libellus tamen iste in lucem profertur supplex, illi legant et existiment, lusa sit opera mea an locata multisque ejusmodi scriptis exstantibus huic quaestioni satisfactum; ne pompam hic orationis vel verborum phaleras exspectent et pictae tectoria linguae, nam, ut eleganter Manilius, „Ornari res ipsa negat contenta doceri;" neve ita exigente ratione novitatem quandam ac insolentiam orationis meae et exsecrentur et detestentur. Juvat enim ex amoenissimis poëtarum graecorum et latinorum hortis, in quibus, quo quisque liberalior est ingenio ac doctrina, eo majori cum voluptate commoratur, secedere aliquantisper in silvas recentiorum non horridas illas quidem et prorsus incultas sed silvas tamen cum veterum viridariis minime comparandas; atque haut injucundum est in ipsis ingeniorum lusibus igniculos agnoscere poëtis a natura datos, qui ne in communi quidem saeculi corruptela et labe exstingui potuerunt. Nec fortasse hac tempestate poenitebit ad jocularia quaedam mentem advertere, quae in otio tractata paulis-

per relaxent animum et a publicis curis et sollicitudinibus avertant. Hoc nimirum est, quod Tullius dixit, honesta hilaritate tristitiam temporum condire.

Quod si perfecte nequeo res edere cunctas,
Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.
Sis mihi corrector resecanda superflua, lector!
Veraque digneris quae desunt jungere veris.
Omnem defectum partim vitio ruditatis
Abnobio tribuas partim studio brevitatis.

P. 1. DE VETERUM ROMANORUM CARMINIBUS RHYTHMICIS.

1. E propinqua cognatione quae linguae latinae cum celtica et germanica primitus intercedebat de Romanorum priscorum pronuntiatione verborum celticae et germanicae magis consentanea explicari potest.* Monstrosa est opinio jam in principio plebeculam romanam sensa sua servire metro coegisse, naturalis sententia judiciumque non vulgare per Graecos demum, unde disciplina et urbanitas universa posterioribus temporibus Romam transmigravit, tantam varietatem carminum omninoque disciplinam poëticam didicisse idque literis modo eruditos et literatos, vulgus ad rhythmum solum carmina composuisse et inclinante imperio oblectatum fuisse hujusmodi quoque rhythmis. Nobiscum facit Quintilianus 9, 4, 114. „poëma nemo dubitaverit imperito quodam initio fusum et aurium mensura et similiter decurrentium spatiorum observatione esse generatum, mox in eo repertos pedes." Ipsi saturnii versus proprium sunt italicae regionis, non inductum quid a Graecis, quamquam grammatici veteres affirmant. Quum adolescebat excolebaturque lingua romana, vis ei adhibita est a scriptoribus vel natione

* Instar omnium delegamus ad Klotzii V. C. librum aureum: Handbuch d. lat. Literaturgesch. 1. p. 157 seqq. et Monei popularis nostri doctissimi Opus, quod inscribitur: Die gallische Sprache. Carlsruhe 1851, et W. Wackernagelii primipili nostrarum literarum Geschichte der deutschen Literatur. Basel 1851. § 2. De re universa conferendus libellus eruditissimi collegae Mutzlii: Ueber die accentuirende Rhythmik in neuern Sprachen. Progr. Landshut. 1835. 4.

composito et quasi rotundo, regula legis admodum neglecta, ut paucis scribam, rhythmo tum longiorum tum breviorum comprehensionum. A modis quibusdam cantu remoto solutam videri orationem ipse Cicero profitetur in Orator. 55, 183. 184. hoc e tragico allato versu: „Quemnam te esse dicam, qui tarda in senectute." Alius testis est Attilius Fortunatus in Putschii Grammatic. lat. corpore p. 2679. „Sed praeterquam quod durissimos versus fecerunt, etiam alios breviores, alios longiores inseruerunt, ut vix invenerim apud Naevium, quos pro exemplo ponerem." Reliquorum grammaticorum de rhythmo locos collectos habes infra § 10. Quotquot sunt poëtae publici, certum vocis sonum admovent, orationem ad numeros alligant, sillabarum quantitate non dimensa rhythmum simplicissimo modo sequuntur. Pronunciatio illa et quae ei est conjunctissima prosodia graeca minime in vulgus transierat, sed doctiorum hominum erat propria, quapropter peculiarem quandam et literarum appellationem et prosodiam invenimus apud scenicos Romanorum poëtas, quippe qui, tametsi ingruente jam graeca consuetudine scripserint, ad vulgi tamen aures se componere et communi sermone uti deberent (Lindemannus De prosodia Plauti, ante comoedias tres, quae prodierunt Lipsiae 1844). Secundum simplicem naturam motus semper vel erat trochaicus vel jambicus vel, qui rarior est, dactylicus (cf. Mutzl p. 10 — 31. coll. E. Kaercheri, quem amicorum numero habere licet, Prosodisches zu Plautus und Terentius. Carlsruhe 1846. 8.) eodemque modo in recentioribus linguis apparet, quibus igitur et antiquissimus et simplicissimus rhythmus est, unde ratio sillabas numerandi id est certus sillabarum numerus perspicuus est (cf. Mutzl p. 31 — 32). Apud Graecos et Romanos ipso illo tempore, quo eruditorum lingua jam quantitati et metricae artificiosae extiterat amica, cum hac sermo publicus in rhythmo perseverabat, quod nobis probat locus Livii 7, 2, 11. 12. „postquam lege fabularum ab risu ac soluto joco res avocabatur et ludus in artem paullatim verterat, juventus histrionibus fabellarum actu relicto ipsa inter se more antiquo ridicula

intexta versibus jactitare coepit; quae inde exodia postea appellata consertaque fabellis potissimum atellanis sunt. Quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit juventus nec ab histrionibus pollui passa est," et ut Graecorum ῥυθμὸς δημοτικὸς, postea πολιτικὸς,* sic Romanorum multa linguae rusticae vestigia. Necesse erat interitu literarum poësin popularem rhythmi amantem, quae nunquam interierat, exsurgere et vocem intendere, ut a Christianorum ritu sacro et cantu, quem item inclinare ad versus populi par erat, rhythmus probaretur ratusque fieret. Vetustissima ecclesiae carmina sillabarum tempora cum accentus rhythmis conjuncta habebant, mox vero illud tempus accentui locum reliquit et simul exstitit in apertumque momentum evasit poësis popularis non minus propria alliteratio, assonantia, consonantia finalis.

---

2. Rhythmicum poësis genus** nobili illo et a doctis tan-

---

* Versus vulgares et communes qui extra metri elegiaci et heroici leges positi nullis pedibns adstringuntur, veram quantitatem internam negligunt, sillabas modo numerant, secundnm accentus metiuntur secundumque eos scansionem instituunt, Graecis dicuntur πολιτικοί, publici, quia politici homines non alte immersi literarum studiis tales facile conficere possent, cum a scholasticis tantnm hominibus justi versus exspectari deberent. Ejns notionis esse adjectivum πολιτικός docet Schaeferus ad Dionys. De compos. verb. p. 6. 7. et Galeni opusculum, quod inscribebatur περὶ τῶν πολιτικῶν ὀνομάτων apud Aristophanem, Eupolidem, Cratinum i. e. de vocabulis vulgaribus et plebeiis. Alias, ad Babrium plura.

** Dnméril in libro acceptissimo, quem cum aliis auxiliis Viro Nobilissimo eidemque doctissimo De Pfaffenhoffen debeo, Poésies populaires lat. du moyen âge. Paris 1847. p. 18. „Si ingénieusement travaillée que devienne la versification des poésies populaires, le rhythme s'y appuie toujours sur des élémens réels, fournis par la nature même de la langue et faciles à percevoir par toutes les oreilles sensibles à l'harmonie, et la quantité était une importation grecque, étrangère à la prononciation habituelle du latin et fort souvent contraire à la disposition des accents. La cadence trochaïque s'accordait seule avec l'accentuation de la pénultième

tummodo viris exculto antiquius esse in aperto est. Vulgus indoctum et rustica gens poëtam interdum agere voluit et legibus metri addiscendis impar quales poterat versus efformare perrexit, rhythmo contenta metrum contemsit. Primi vero rhythmicos versus invenerunt rustici, quorum erat post messem et vindemiam et in nuptiis sese exhilarare conviciis alternis sese ferientes et versibus certantes. E multis proferantur Lucretii versus 5, 1391 seqq.

Saepe itaque inter se prostrati in gramine molli
Propter aquae rivum sub ramis arboris altae
Non magnis opibus jocunde corpora habebant,
Praesertim quom tempestas ridebat et anni
Tempora pingebant viridantes floribus herbas.
Tum joca, tum sermo, tum dulces esse cachinni
Consuerant; agrestis enim tum musa vigebat.
Tum caput atque humeros plexis redimire coronis,
Floribus et foliis lascivia laeta monebat
Atque extra numerum procedere membra moventes
Duriter et duro terram pede pellere matrem;
Unde oriebantur risus dulcesque cachinni,
Omnia quod nova tum magis haec et mira vigebant;
Et vigilantibus hinc aderant solatia somno,
Ducere multimodis voces et flectere cantus
Et supera calamos unco percurrere labro;
Unde etiam vigiles nunc haec accepta tuentur
Et numeris servare genus didicere neque hilo
Majore interea capiunt dulcedine fructum,
Quam silvestre genus capiebat terrigenarum.

et Virgilii Georg. 2, 385 seqq.

Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni
Versibus incomtis ludunt risuque soluto

---

et les habitudes de l'oreille; elle conciliait l'ancien mouvement des vers saturniens avec les exigences de la nouvelle métrique. Ejusdem Franci Poésies popul. latines antérieures au XII. siècle nondum contigit acquirere.

Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

(cf. Zellii Ferienschrift. II p. 122—128 meae Antiquitt. Romanor. priv. § 278, 382, 250, 528). Dithyrambicam poësin primis temporibus institutam atque ex rhythmis varii generis compositam fuisse testatur Proclus chrestomath. c. 14. ed. Gaisford. Lips. p. 420. 421, et Horatius carm. 4, 2, 10—12, de Pindaro:

Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit numerisque fertur
Lege solutis.

Ejusmodi versus priscae Italiae incomti, inconditi (Liv. 4, 20, 2. 4, 53, 11. 7, 2, 5, cum Zell. p. 129—136), horridi (Horat. epist. 2, 1, 158) erant saturnii et qui aeque opera proba fontis italici sunt fescennini, axamenta Saliorum, Fratrum arvalium, saturae, fabulae atellanae cum exodiis (Munk De fab. atell. p. 6), cantilenae populares (cf. Dumérilii Poëseos popularis latin. reliquiae. Paris. 1843. M. Magnin in Journal des Savans 1844. Janv. p. 5—26. Duméril praef. ad Poésies pop. du moyen âge), historicae, amatoriae et nuptiales, militum quas ducis triumphantis currum sequentes canere consueverunt (Liv. l. l.), aliae: ad rhythmum solum composita carmina. De quibus pauca verba facere permittatur. Priscus *saturnius* quamquam certum rhythmum tenens non observata lege erat nec uno genere custodito et poëtae antiquiores praeterquam quod durissimos versus fecerunt, etiam alios longiores, alios breviores carminibus inseruerunt, quam rem et docere et demonstrare possunt fragmenta cantilenarum Fratrum arvalium, e. g.

Enos, Lases, juvate!
Neve luerve, Marmar, sirs incurrere in pleoris,
Satur fusere, Mars: limen sali, sta, berber:
Semones alterni, jam duo capit conctos.

Enos, Marmar, juvato.
Triumpe, triumpe!

ut G. Hermannus Elem. metric. p. 613, metrum restituit.* Metrum si quaeris saturnii, ab antiquis grammaticis haec forma est tradita:

◡ — ◡ — ◡ — ◡ || — ◡ — ◡ — ◡

quae plane justa est (sunt verba Muelleri ad Fest. p. 396, 397), modo unum observaveris et tenueris supprimi posse theses omnes excepta ultima, maxime penultimam. Quare hi quoque legitimi sunt (Zell p. 187 — 190, 221, 222):

Cornelius Lucius Scipio Barbatus,
Gnaivod patre prognatus fortis vir sapiensque,
Quoius forma virtuti parissuma fūit.
Consul, Censor, Aedilis qui fuit apud vos,
Taurasiam, Cisaunam Samniom cepit.
Dedet tempestatebus aidem mereto.

Livii Andronici:

Virum mihi, Camena, insece versutum.
Mea puera, quid verbi ex tuo ore profugit.
Partim errant, nequinont Graeciam redire.
Sancta puer, Saturni filia, regina.

Cn. Naevii, qui saturnio firmiorem formam dedisse videtur, unde ejus auctor dicitur (cf. Egger Latini serm. vet. reliq. p. 122 — 125. Klotz p. 280 — 292):

---

* Idem ita traduxit: Nos, Lares, juvate, neve luem, Mamuri, siris incurrere in plures: satur fueris, Mars: limen sali, sta, vervex: Semones alterni, jam duo capit cunctus cet. cf. Zell II., p. 110 — 113, 210 — 212. Latini sermonis vetustioris reliquiae selectae. Recueil publié par Egger. Paris 1843, p. 69 — 71. Hermannus ib. 1, 10, 25: „antiquior illa poëtarum scenicorum prosodia, qua etiam epici in saturniis versibus utebantur, communem sequuta pronunciationem, maxima ex parte accentu regebatur, neglecta positione consonantium, interdum etiam imminuto pondere longarum vocalium pluribusque sillabis in unam contractis." Adde Apelii Metrik § 602, p. 297.

Inerant signa expressa quomodo Titani,
Bicorpores Gigantes magnique Atlantes,
Rhuncus ac Purpureus filii terras.
Sin illos deserant fortissimos virorum,
Magnum stuprum poplo fieri per gentis.

Ejusmodi versibus, qui quindecim sillabas non facile excedunt hexametrumque creaverunt, etiam saltatio addebatur et quaedam digitorum percussio. Adhibebantur per multa tempora in elogiis, tabulis triumphalibus, monumentis Scipionum (Klotz p. 308 — 311. Zell p. 190 — 193, 222, 223. Duméril p. 19, 20), dicteriis, inprimis in illis militum versiculis jocularibus et salsis, quorum haec exempla sint. In Jul. Caesarem, dum triumphum gallicum agebat, isti versus cantati sunt:

Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem;
Ecce Caesar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Caesarem.

Alios Suetonius suppeditat in eundem (in Caes. 51):

Urbani servate uxores, moechum calvum adducimus:
Aurum in Gallia effutuisti, heic sumsisti mutuum.

et cap. 80:

Gallos Caesar in triumphum ducit, idem in curiam.
Galli bracas deposuerunt, latum clavum sumserunt.

et quos Caesaris statuae subscripserunt:

Brutus quia reges ejecit consul primus factus est,
Hic quia consules ejecit rex postremo factus est.

Gellius 15, 4 profert versus ludicros in Ventidium Bassum:

Concurrite omnes augures, haruspices!
Portentum inusitatum conflatum est recens,
Nam mulos qui fricabat consul factus est.

cf. Zell p. 148 — 159. 215 — 217. Weicherti Poëtarum latin. reliqq. p. 131, 132. *Versus fescennini* erant fascinosi sive

fascini i. e. orationis invidiosae pleni et cavillabantur et jocabantur; „fescennina per hunc inventa licentia morem, versibus alternis opprobria rustica fudit," canit Horatius epist. 2, 1, 139, seqq. inprimis inter nuptias. Sunt certa et legitima progenies Italiae et primitus eodem rhythmo quo saturnii:

Fato Metelli Romae fiunt consules.
Dabunt malum Metelli Naevio poëtae.

cf. Klotz p. 292 — 296. qui etiam de reliquis cantilenis popularibus a pag. 372 — 381, praeter Zellium p. 202 — 208. Mutzlium p. 12 — 14, conferendus est. Vix dubitandum illi versus, quos Hadriani Augusti adfert Spartianus in ejus vita c. 16.

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

quin inter rhythmicos referendi sint ut et alii, quos idem Augustus moribundus effudisse dicitur; in iis certe exactam metri rationem minime deprehendas. Sunt vero hi, ibidem c. 25.

Animula vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Quae nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos.

et illi in Antholog. Meyer. 989 — 991, et illi sacculi VII. ap. Murator. (cf. Santen ad Terent. Maur. p. 187 seq. G. Hermanni Diss. Metrorum quorundam mensura rhythmica. Lips. 1815.):

Quis mihi tribuat, ut fletus cessent immensi,
Et luctus animae det locum vera dicenti,
Licet in lacrumis singultus verba erumpant.
De te certissime tuus discipulus loquor.

Rhythmi rimati sunt § 16.

3. At non solum poëtae studebant inde ab antiquissimis temporibus verba lege quadam atque arte ita conjungere et collocare, ut etiam sine cantu ac tantummodo pronuntiata consonantiam ac quandam ut ita dicam melodiam redderent jucundaque sensatione aures ferirent, sed etiam oratores, qui finitimi sunt poëtis, similem concentum quaerebant eamque artem oratoriam docebant, quem ornatum, lumina quasi orationis, Grammatici παρίσωσιν, ἀντίθετα, παρήχησιν, παρονομασίαν, geminationes, parallela nominabant. Praeter Cicerón. orat. § 174 — 236 et § 220. Freesium Griechisch-roem. Metrik p. 16. Klotzium 1 p. 268. Reisigium Vorles. über lat. Sprachwiss. § 467 — 469. et de universo numero oratorio Bluehdornium in Friedem. et Seebod. Miscell. crit. 1, p. 276 — 287. haec pauca conferenda: Incerti auctoris versus heroici De figuris, quos edidit V. C. Schneidewinus, Gotting. 1841, vers. 80 — 82 de ἰσοκώλῳ:

Fit parimembrium, ubi membra aequa et circuitus sunt:
Cui nec finis adest cupiendi nec modus exstat
Utendi. Citus in dando est, celer in repetendo.

et vers. 101 exemplum ὁμοιοπτώτου:

Auxilium non consilium, rata non cata verba.

cum editoris doctissimi nota p. 29, 30. Cicer. Phil. 1, 8, 19. „et vos acta Caesaris defenditis, qui leges ejus evertitis?" pro Milon. 4, 10. „est enim, judices, haec non scripta sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus," quae afferuntur Orat. 49, 165. Idem pro lege manil. 4, 9. „qui posteaquam maximas aedificasset ornassetque classes exercitusque permagnos — comparasset et se Bosporanis bellum inferre simulasset." et Verrin. 5, 10. „ut eum non facile non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret" (de qua alliteratione § 6). Plin. hist. nat. 9, 33, 52. „firmioris jam testae murices et concharum genera, in quibus magna ludentis naturae varie-

tas; tot colorum differentiae, tot figurae, planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe caesis, in dorsum elatis, laevibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato. Jam distinctione virgulata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim divisa, imbricatim undata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expansa, dentata, porrecta, sinuata, brevi nodo ligatis, toto latere connexis, ad plausum apertis, ad buccinum recurvis. Navigant ex his veneriae praebentesque conconcavam sui partem et aurae opponentes per summa aequorum velificant; saliunt pectines et extra volitant seque et ipsi carcipant." Plin. paneg. 34, 2. „advertisti oculos atque ut antea castris ita postea pacem foro reddidisti: excidisti intestinum malum et provida severitate cavisti, ne fundata legibus civitas eversa legibus videretur," et 41, 1. „nam mihi cogitanti eundem te collationes remisisse, donativum reddidisse, congiarium obtulisse, delatores abegisse, vectigalia temperavisse: interrogandus videris, satisne computaveris imperii reditus, an tantas vires habeat frugalitas principis, ut tot impendiis, tot erogationibus sola sufficiat." Apulejus De deo Socr. c. 16, p. 149, 150. Hild. „malorum improbator, bonorum probator, si rite animadvertatur, sedulo cognoscatur, religiose colatur — in rebus incertis prospector, dubiis praemonitor, periculosis tutator, egenis opitulator, qui tibi queat mala averruncare, bona prosperare, humilia sublimare, nutantia fulcire, obscura clarare, secunda regere, adversa corrigere," coll. c. 14, p. 143. Eorum vestigia presserunt et superaverunt Patres ecclesiae et fere omnes scriptores ecclesiastici ac inter eos Innocentius III Papa libr. De contemtu mundi perpetua fere consonantia usi sunt. Augustinus De civit. dei 21, 26. „qui non habuerunt tales mores et amores in hujus corporis vita," et: „quod sine illiciente amore non habuit, sine urente dolore non perdet." Arnobius 7, 24. „quid fitilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumeum, conspolium, cubula?" Tertullianus De pudore 6. „nova caro emergit jam non ex seminis limo, non ex concu-

piscentiae fimo, sed ex aqua pura et spiritu mundo.“ S. Bernardus tot versus habet, ut mihi studiose inserti videantur. De prosa monachorum rimata dicetur § 11 et 16. Et tantum abest, ut vitio id dari iis debeat, ut majestatem sermonis divini coarguat, quod absint hujusmodi cautiones, quas Cicero et alii verborum scrutatores plus nimio aliquando curiosi inculcant. Minutum omnino est et puerile ubique sillabas metiri et numerare pedes, ne versus quidam nobis obrepat improvisus.

---

4. Scriptoribus maxime cautis et compositis prae nimio rhythmi studio saepe exciderunt modo integri, modo dimidiati versiculi. „Metrici quidem pedes adeo reperiuntur in oratione, ut in ea frequenter non sentientibus nobis omnium generum excidant versus; et contra nihil quod prosa scriptum non redigi possit in quaedam versiculorum genera vel in membra. — Cicero frequentissime dicit totum hoc constare numeris ideoque reprehenditur a quibusdam, tanquam orationem ad rhythmos alliget,“ Quintilian. 9, 4, 52, 53. qui pergit § 72. „Versum in oratione fieri multo foedissimum est totum, sed etiam in parte deforme“ etc. et § 74. T. Livius hexametri exordio coepit „Facturusne operae pretium sim.“ Et quamquam ipse Cicero monuit (Orat. 20, 67. 56, 189. coll. de orat. 3, 47, 182. Brut. 8, 32) versum orationis vitium esse, nonnulli tamen apud ipsum inventi sunt a grammaticis nostris, quorum princeps est Casp. Barthius Advers. 32, 17. coll. 32, 4. 8, 21. 41, 22. 16, 14. 11, 16. et Vossius Rhetor. 4, 4, 3. et C. Funk (in Paedag. u. liter. Mittheil. herausgegeben von Matthias, Magdeburg. 1826. fasc. 3, p. 82) qui centum hexametros Ciceronis, septuaginta aliorum congessit, quorum vero magnus numerus speciem tantum versus habet: pedibus certis constant, neque tamen recte versus vocantur. Ecce pauci: Salustii Jug. in.

Bellum scripturus sum, quod populus romanus.

Ejusdem Cat. 19, 5.

Cnei Pompei veteres fidosque clientes.

— Jug. 101, 8.

Quos adversum ierat rediens ab latere Mauris.

— 98, 2.

Jamque dies consumtus erat quum.

Senecae De benefic. 3, 17 et 3, 30.

Quem juvat accepisse aequali perpetuaque.
Muneris est, quia non essem, si non genuisset.

Apud veteres jureconsultos et hexametri et pentametri:

Quum sponsus sponsae servum donasset eumque.
Quum mihi redhibeas furtis noxisque solutum.
Plus habeat reditus, quam si matura legatur.
Caedem admiserunt sponte dolove malo.
Servo legato legari posse receptum est.
Pro solido pignus vendere quisque potest.
Semper in obscuris quod minimum est sequimur.

Apud Ciceron. de orat. 3, 5, 20. si lectio vera:

Complexi plus multo etiam vidisse videntur
Quam quantum nostrorum ingeniorum acies.

— pro Arch. in.

In qua me non infitior mediocriter esse.

— ad Quirit. post redit. 6 fin.

Auctores, testes, laudatores[que] fuerunt.

Tacit. annal. init. (cf. J. H. Vossii Zeitmessung p. 49. 50):

Urbem Romam a principio reges habuere.

— — 1, 71.

Quorum laudato studio Germanicus armis.

— — 15, 73.

Donec consensu patrum deterritus est ne.

Livius imitator et laudator Ennii 4, 57, 7.

Moenia compulsis neo defendentibus agros.
Ut signum dar*et*, ut capere arma juber*et* 7, 13, 11.
Sedulo ut adversus montes consisteret hostis 7, 14, 9.
Haec ubi dicta dedit, stringit gladium cuneoque 22, 5, 10.
Moliri portas et claustra refringere parat 23, 18, 2.

Phaleucus exstat ap. Plin. ep. 6, 9, 1.

Commendas mihi Julium Nasonem.

Quatuor senarios jambos integros ap. Quintilian. 1, 6 fin. detexit Barthius:

Lavamur et tondemur et convivimus —
Non si quid vitiose multis insederit —
Pro regula sermonis excipiendum erit —
Omnem circi turbam exclamasse barbare.

choriambum, senarium et trochaeos ap. Apulej. metam. 9, 39 p. 861. Alios alii in his Ciceronis in Catilin. in:

Senatus haec intelligit, consul videt.

Tusc. 2, 14, 34.

Ut multus e visceribu' sanguis exeat.

2, 15, 36.

Quae ceteris in urbibus mollissimo.

Idem Barthius 32, 17. in Ciceronis orat. in Vatin. a cap. 1. ad c. 4, § 10. circa septuaginta numeris suis aptos versus notavit neque dubitavit, si ad finem progredi vellet, supra trecentos exituros. — Aliorum versuum alia ratio beneque nobis discernendum est et segregandum. Nimirum suavitatis conciliandae causa scriptores orationi nonnunquam versus immiscent (Hermogenes De ideis 2, 4), qui sunt loci poëtarum et illis in mentem veniunt. cf. Dissen ad Demosten. de corona p. 315. Jacob ad Luciani Alex. p. 52 seq. Schneidewin. in Philolog. IV. p. 357 — 361. Idem factum in Epist. ad Tit. I, 12. ubi integer hexameter Epimenidis cretensis est; 1 Ep.

ad Corinth. 15, 33. ubi senarius Menandri (ed. Mein. p. 75); Act. Apost. 17, 28. ubi dimidiatus hexameter Arati. Idem Latini fecerunt: Cicero pro Cn. Planc. 36, 88. „nihil amplius dico nisi illud victoriae nostrae graves adversarios paratos,

interitus nullos ultores esse videbam."

de legg. in:

nullius agricolae cultu stirps tam diuturna

quam poëtae versu seminari potest. ad Att. 2, 18.

displiceo mihi nec sine summo scribo dolore.

Academ. II, 39, 122.

crassis occultata et circumfusa tenebris.

— — I, 4, 14.

Quae quum dicta, in conspectu consedimus omnes.

Tacitus Germ. 39, 2. „stato tempore in silvam

auguriis patrum et prisca formidine sacram

coëunt." cf. Virgil. Aen. 7, 608.

P. II. DE VETERUM ROMANORUM CARMINIBUS RIMATIS.

5. Ab oratorum simili concentu transimus ad sonum angustiore vocis notione, ad rimos. Primum audiantur veteres. Cicero Orat. 12, 38. „Datur venia concinnitati sententiarum et arguti certique et circumscripti verborum ambitus conceduntur de industriaque, non ex insidiis, sed aperte ac palam elaboratur, ut verba verbis quasi demensa et paria respondeant — et ut pariter extrema terminentur eundemque referant in cadendo sonum: quae in veritate causarum et rarius multo facimus et certe occultius" coll. § 135. de orat. 3, § 206. „et illa quae similiter desinunt aut quae cadunt similiter," cf. nostra exempla § 3. Auctor ad Herenn. 4, 12, 18: „Compositio est verborum constructio aequabiliter perpolita. Ea conservabitur, si fugiemus crebras vocalium concursiones, quae vastam atque hiantem orationem reddunt, ut hoc est: Baccae aeneae amoenissimae impendebant. Et si vitabimus ejusdem literae nimiam assiduitatem, cui vitio versus hic erit exemplo:

O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyranne, tulisti.

et hic ejusdem poëtae (Ennii scil.):

Quidquam quisquam cuiquam quod conveniat, neget.

Et si ejusdem verbi assiduitatem nimiam fugiemus; ea est hujusmodi: Nam cujus rationis ratio non exstet, ei rationi ratio non est fidem habere; et si non utemur continenter similiter cadentibus verbis hoc modo:

Flentes, plorantes, lacrimantes, obtestantes.

et si verborum trajectionem vitabimus, nisi quae erit concinna; quo in vitio est Lucilius assiduus, ut hoc est in priore libro:

has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli."

et 4, 20, 28. „similiter cadens exornatio appellatur, quum in eadem constructione verborum duo aut plura sunt verba, quae similiter iisdem casibus efferuntur hoc modo: hominem laudas egentem virtutis, abundantem felicitatis; item: cujus omnis in pecunia spes est, ejus a sapientia est animus remotus; diligentia comparat divitias, negligentia corrumpit animum, et tamen quum ita vivit neminem prae se ducit hominem. Similiter desinens est, quum, tametsi casus non insunt in verbis, tamen similes exitus sunt hoc pacto: turpiter audes facere, nequiter studes dicere; vivis invidiose, delinguis studiose, loqueris odiose; item: audacter territas, humiliter placas. Haec duo genera, quorum alterum in exitus, alterum in casus similitudine versatur, inter se vehementer conveniunt; et ea re, his qui bene utuntur, plerumque simul ea collocant in iisdem partibus orationis. Id hoc pacto facere oportet: perditissima ratio est amorem petere, pudorem fugere; diligere formam, negligere famam." Et 4, 22, 32. „haec tria genera proxima exornationum, quorum unum in similiter cadentibus, alterum in similiter desinentibus verbis, tertium in annominationibus positum est, perraro sumenda sunt, quum in veritate dicemus; propterea quod non haec videntur reperiri posse sine elaboratione et consumtione operae. Ejusmodi autem studia ad delectationem quam ad veritatem videntur accommodatiora. Quare fides et gravitas et severitas oratoria minuitur his exornationibus frequenter collocatis; et non modo tollitur auctoritas dicendi, sed offenditur quoque in ejusmodi oratione auditor, propterea quod est in his lepos et festivitas, non dignitas neque pulcritudo." Ista praecepta accipiant et comprobent oratores cum rhetoribus et grammaticis, ut Gellio, qui 18, 8. ὁμοιοτέλευτα καὶ ὁμοιόπτωτα atque alia id genus inepta et puerilia putat, et e recentioribus cum Is. Vossio in libro De poëmatum cantu et viribus rhythmi. Oxon. 1673. 8. qui eam consonantiam balbutiem existimat, a qua cavendum sit; alii magni viri, ut J. M. Gesnerus Isagog. in erudit. univers. T. 1. § 241. J. D. Fuss Dissert. versuum homoeoteleutorum sive consonantiae in poësi neolatina usum commen-

dans. Leovan. 1828. rimos quidem compedes habent, at sapienter injectos poëtis, vincturam, quae debeat nos excitare, ut excutiamus animum, inveniamus pulchras cogitationes. Quis quaeso tam inficetus est, ut reprehendat et condamnet nostrae aetatis pericula D. Ph. Heinii, J. G. Leonhardi, Kochii, Mohrii, Fussii, al.?

---

6. De consonantia universa. Vocabula quae notione et cogitatione ad se referuntur et prope sunt ipso sono sibi communia esse volunt et conjungi. *Annominatio* est ea literarum similitudo in duobus vel pluribus vocabulis, qua idem vel simile sonans repetitur et ejusdem stirpis juxta se collocatur; quae vocabula diversae etiam vel contrariae significationis esse possunt ejusdemque stirpis videri; quare hac figura facetiarum amantes et festivi homines uti amant. Cum Graecis fecerunt Romani. Idem vel simile sonans vocabulum repetitur in his: Homer. Od. 19, 204 — 208. *τήκετο κατατήκετο κατέτηξεν τηκομένης τήκετο.* Il. 1, 266. 267. *κάρτιστοι κάρτιστοι καρτίστοις.* 287 — 289. *πάντων πάντων πάντεσσι πᾶσι.* Sophocl. Antig. 469. 470. *μῶρα μώρῳ μωρίαν*; in ipsa oratione soluta: *πολλὰ πολύ; ἐκ πάντων πάντα; πρῶτος πρώτου; δύο δυοῖν; πολλὰ πολλοῖς; πολλὰ πολλαχῇ; ἴσον ἴσῳ* al. Sic apud Latinos: singuli singulis; uter utri; uterque utrique; omnes omnia; omnino omnes; multus multo; virium vi; vi victa vis (Cic. p. Mil. 11, 30); magnum magno conamine misit (Ovid. met. 3, 60): optumo optume optumam operam das (Plaut. Amphit. 1, 1, 122); bonus bonis bene feceris (Id. Poen. 4, 4, 46); juste ab justis justus sum orator datus (Amph. prol. 34); amoenitate amoena amoenus (Capt. 4, 1, 7); regum rex regalior (4, 2, 45); faciam ut faciat facilius (2, 3, 49); viri freti virtute et viribus (Amph. 1, 1, 57); bene et benigne (Poen. 3, 2, 12); nimio opere sumat operam (Curc. 4, 1, 7); ad senem senex de senectute (Cic. Lael. 1, 5); quando homo, hostis homo

(Quintil. 9, 3, 66); videre videor (Seyffert ad Lael. 12, 41. p. 279. 280); vidi videre (Cic. Tusc. 1, 44, 105); hoc rogo, non furor est, ne moriare, mori? (Martial. 2, 80. Boissonad. ad Theophyl. p. 245). — Ejusdem stirpis: victor victi (Ovid. met. 3, 95. heroid. 9, 2); moles molestiarum (Cic. de orat. 1, 1, 2); potestas plus potest (Plaut. Casin. 2, 4, 4); specimen specitur (ib. 3, 1); piare pietatem (Id. Asin. 3, 13); habenas habere (Cic. Lael. 13, 45); servitutem servire, vitam vivere, ire iter, al. (cf. meum libellum De accusativo, Carlsruhe 1844. § 3); nomine nominare, uno dolore dolere, miserrima miseria, ops opulenta, nitor nitidus, venus venusta, gratae gratiae, memoriter meminisse, propere properare, cupide cupere, tacite tacere, cursim currere, nitide nitere; Ennii: qui cupida cupiens cupienter cupit; sensim sine sensu aetas senescit; vita vitalis, vita non vitalis, insepulta sepultura, Paris Helenam innuptis junxit nuptiis, res mihi invisae visae sunt (ap. Quintil. 9, 4, 41). cf. Seyffert ad Lael. 6, 22. p. 130. 131. ad 13, 45. p. 307. 308. Incertus auctor De figuris 93. dignos digna manent; plerumque bonis bene vortit. Ennius ap. Cic. Lael. 17, 64. amicus certus in re incerta cernitur. Canis caninam non est (Varro ling. lat. 7, 3); non lutum est lutulentius (Plaut. Poen. 1, 2, 30). — Ejusdem stirpis videntur et dicteriis faciendis apta sunt: scortum pro scuto accubet (Plaut. Bacch. 1, 1, 41); ferire mālam măle discit manus (Id. Amph. 1, 1, 159); mobilior nobilior (Cic. de orat. 2, 63, 256); Incertus auctor De fig. 106 — 108. „Supparile est tale, aequisono si nomine dicas: mobilitas, non nobilitas; bona gens, mala mens est; dividiae, non divitiae; tibi villa favilla est.“ Terent. Andr. 1, 3, 13, coll. Liv. 3, 47, 4: Inceptio 'st amentium, haut amantium. Id. Heaut. 2, 3, 115: tibi erunt parata verba, huic homini verbera. Cic. Tusc. 3, 27, 64. pueros castigare nec verbis solum sed etiam verberibus. Plaut. Poen. prol. 18. verbum aut virgae. Cic. ad Att. 1, 13, 2. consul parvo animo et pravo-facie magis quam facetiis ridiculus; 16, 5. o dies in auspiciis Lepidi lepide descriptos; academ. 1, 1, 2. nec cessare

sed celare; Tusc. 5, 41, 118. ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat; Accius ib. 2, 17, 39. „qui alteri exitium parat eum scire oportet sibi paratam pestem ut participet parem,“ et paulo post: acrem aciem inclinatam. Venantius Fortunat. 1, 347. 506. 508.

Dum rapit, eripitur, rapienda rapina rapaci.
Foedera fida fides formosat foeda fidelis.
Illustris lustrante viro loca lustra ligustra.

Alliteratio et assonantia, quarum aliquot exempla in iis quae jam dedimus observare licebat, minus significans et efficiens est apud veteres Graecos et Romanos quam apud Germanos. Illa est literarum consonantium, haec vocalium similitudo in subsequentibus vocabulis; et eae figurae conjungunt significantque modo notiones et cogitationes cognatas, ut in his: do, dico, addico; veni, vidi, vici; satis scio: quod bonum, faustum, felix fortunatumque sit; bona, fausta, felix fortunataque evenat (Plaut. Trin. 1, 2, 3); more modoque (Horat. carm. 4, 2, 28); dulce et decorum (ib. 3, 2, 13. cf. Cadenbach in Progr. Essen. 1837); per fas et nefas (Liv. 6, 14); prudens, sciens, vivus vidensque pereo (Terent. Enn. 1, 1, 27); terque quaterque; plusve minusve; non nolle; non nihil; non nemo; nullus neque; qui quoniam. Modo asperas et pugnantes, quod rarius est: albus aterne fueris (Cic. Phil. 2, 16, coll. Catull. 93, 2). Modo indifferentes, nec bonas nec malas significant. Vetustiorum inprimis poëtarum sunt. Satis habeo quae majorem vim habent proferre. Attii ap. Non. p. 314. excita saxis saeva sonando crepitu clangentes cachinnant. Ennii: disperge hostes, distrahe, diduc, divide, differ. et ap. Cic. Tusc. 3, 19, 45. Priamo vi vitam evitari. et ap. eundem De orat. 3, 58, 217. o pater, o patria, o Priami domus — ut meos malis miser manderem natos. Naevii ap. Fest. p. 116. 6. libera lingua loquemur ludis liberalibus. Ejus epitaphium ap. Gell. 1, 24. si foret fas flere, flerent. Veteris tragoed. ap. Cic. de. div. 1, 21, 42. puerum primus Priamo qui foret — postulat pacem petens. Plaut.

Truc. 2, 3, 22. factum plector. Id. Trin. 2, 2, 9—17. Capt. 5, 3, 5. pater peculiarem parvolum puero dedit, coll. 5, 4, 16. Truc. prol. 1. perparvam partem postulat Plautus. Poen. 5, 4, 9. praepotentes, pulchrae pacisque potentes. Trin. 2, 2, 87. sapiens pol ipse fingit fortunam sibi. Appius ap. Sallust. ep. 1. de re publ. ord. p. 183. Orell. „faber est suae quisque fortunae." Corn. Nepos Att. 11, 6. Plaut. Pseud. 5, 2, 19. vae victis (Liv. 5, 48, 9. Flor. 1, 13, 17). Lucret. 1, 453. sejungi seque gregari. 1, 727. magna modis multis miranda. 1, 1023. multa multis modis mutata. 2, 115. multa minuta modis multis. 2, 619, 620. tympana tenta tonant palmeis et cymbala circum concava raucisonoque minantur cornua cantu. 6, 790. multa modis multis multarum semina rerum. 6, 284. luminibus lustrans loca. Laber. mim. prol. 17. libitum literarum laudibus; 27. nihil nisi nomen; alibi: somno sanari solet. Ennii ap. Cic. Tusc. 3, 19, 44. ex opibus summis opis egens; auxilio exsili; urbe orba sum; fana flamma deflagrata; o pater, o patria, o Priami domus. ib. 4, 36, 77. major mihi moles, majus miscendum malum. Catull. 64, 53. Thesea cedentem celeri cum classe tuetur. Virgil. A. 1, 57. luctantes ventos tempestatesque sonoras (ad sigmatismum virgil. cf. Georg. 3, 514. 4, 370); 3, 183. tales casus Cassandra canebat; et in Anthol. Lat. Meyer. 95.

Dum dubitet natura marem faceretne puellam,
Natus es o pulcher pene puella puer.

Ovid. met. 1, 299. graciles gramen carpsere capellae. 3, 213. nuper ab apro. Horat. carm. 3, 2. stroph. 1 et 4. Cicer. Verr. 2, 24. debebat Epicrates nullum numum nemini; alibi: videntur vim virtutis tenere, ne videret victorem victus, viri vitam vendidit, homo nullo numero, cogantur constantiae causa, amicae esse amictus amiculo; Incertus quoque auctor De figuris alliterationem aucupatur: 43. fero bis praedita ferro. 86. rursus me redigo ad rem. 92. a primo puerum rectum est condiscere recti. 125. ferme fit. 143. 144. nec corpore praestas

nec corde exuperas. 150. non amor est, verum ardor. 135. victos virtute. 159. laedit leges. 173. curat enim nemo nec corrigit hanc rem, sed culpat. — Eadem sillaba initialis eundem ad effectum adducit: Plaut. Merc. 5, 2, 29. lacrimae lamentatio; Id. Menaechm. 1, 1, 29. domi domitus. Mil. Gl. 4, 2, 62. compellare et complecti et contrectare. Enn. ap. Non. p. 100, 10. occurrunt, obstant, obstringillant, obagitant. Terent. Heaut. 1, 2, 35. consilia consequi consimilia. Lucret. 5, 393. certamine bellum magnis de rebus inter se cernere certant. 2, 129. retro repulsa revorti. 5, 324. recreari recipit res. 5, 717. labitur omnimodis occursans officiensque. Quibusdam *assonantiis* rivum claudamus. Plaut. Mil. Glor. 2, 5, 10. adeamus, appellemus. Id. Amph. 3, 2, 42. oro obsecro. 1, 1, 66. nos nostras more nostro et modo. Poen. 1, 2, 119. oleum et operam. Aul. prol. 7. thesaurum auri. alibi: anima est amica amanti. Virgil. A. 3, 383. mente teneto, cf. 5, 147—150; 3, 186. tota tamen. 428. abduxere retro. 467. cede deo. 12, 317. firma manu. 3, 82. Anchisen agnoscit amicum. 3, 350. quaerere regna. Ovid. met. 5, 362. nulla labare. 4, 459. aquae quaeque. 4, 522. Melicerta lacertis. 5, 511. pulsa gravi gravis est amentia. 13, 734. aliquo quoque tempore virgo. Trist. 1, 8, 46. agerere reus. Cic. off. 1, 18, 61. pleniore ore (cf. Beieri nota p. 143), 1, 10, 33. summum jus summa injuria. Vide sis de argumento universo Naeke in Mus. Rhen. Philol. 1829. III, 3. p. 324—418. Poggel Grundzüge einer Theorie des Reims und der Gleichklänge. Münster 1836. 8. Stahr in Jahn. Jahrb. XXII. p. 76 seqq. Teipel in ejusdem Archiv 1846. XII, 2. p. 249 — 268. Schlüter in Progr. Arnsberg. 1840. Cadenbach in Progr. Essen. 1837.

---

7. Ab annominatione et alliteratione ad *consonantiam finalem* seu *rimum* non magni gradus erant faciendi. Versus qui similiter cadunt exeuntque, quam figuram Graeci appellaverunt *ὁμοιοτέλευτον*, Latini „similiter cadens," incertus auctor De

figuris 97. „confine,“ per multas terras placuit (§ 14) et consonantia maxime naturalis et perfecta multarumque gentium usu comprobata est, licet delicatiores homines inprimis ab eo sibi caverint vitiosumque habuerint, si in versuum fine idem vocabulum sibi consonet. Equidem ab opinione vulgi sum idque rhythmi rimique amans fuisse probant nobis ejus *versus per ludibrium facti,* ut ille in Augustum ap. Sueton. 70. „Pater argentarius, Ego corinthiarius;“ et *cantiones* seu carmina incantata, e quibus pauca servata sunt, quia prodendo obstabat ingens verecundia (Plin. 28, 2, 5 fin.). Cui pedes dolere coeperunt, terram tangens, despuens, jejunus ter novies cantare debebat:

Terra pestem teneto, salus hic maneto.

cf. Varro R. R. 1, 2, 27. Zell Ferienschr. II p. 118—122. Luxum si quod est, dum arundinem viridem mediam diffissam duo homines ad coxendices tenent, cantandum: „motas vaeta daries dardaries astataries dissunapiter,“ usque dum coëant; vel hoc modo: „huat hanat huat ista pista sista domiabo damnaustra;“ vel hoc modo: „huat haut haut ista sis tar sis ordannabon dunnaustra.“ cf. Cato R. R. 160. Ejus rei speciem adumbrat etiam ille versus virgilianus Eclog. 8, 80. (Munk De fab. atell. p. 9.)

Limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit.

Item probant *proverbia,* quorum aliquot jam § 6. allata sunt et ab incerto auctore De figuris 114. Das spes, adimis res (cf. Burmann. ad Ovid. Her. 18, 178). 107. mobilitas, non nobilitas; bona gens, mala mens. 108. dividiae, non divitiae; tibi villa favilla. 150. non est amor, sed ardor. 153. imbrem cupiunt arentes, nolunt viantes. Sueton. Tiber. 42. Nero Mero, Tiberius Liberius. Jul. Capitol in Vero 5. septem convivium, novem convicium (cf. meae Antiquitt. Rom. priv. § 501). Columell. 5, 9. qui arat olivetum rogat fructum, qui stercorat exorat, qui caedit cogit. Augustin. adv. Adimant. 13. qui non celat, non amat. Porphyr. in Horat: mores amici noveris, non oderis. Cic.

p. rege Dejot. 9, 25. amici pereant, dum una inimici intereant. Id. Tusc. 5, 41, 118. aut bibat aut abeat.* Fest. p. 372, 4. Bene facta, male locata, male facta arbitror. Melle et felle; nomen et omen; omnia praeclara rara; longe fugit qui suos fugit; ortus unius alterius interitus. Probant carmina § 2 fin. § 3. § 5 et *antiquiorum poëtarum versus* hi (cf. Wachler Handb. d. Gesch. d. Literatur. 1 p. 226): ap. Cicer. Tusc. 1, 28, 69.

Coelum nitescere, arbores florescere,
Vites laetificae pampinis pubescere.

ad quos cf. Koppius ad calcem Analect. lit. Huschkii p. 364 seq. Ennii ap. eundem 1, 35, 85. vel 3, 19, 45. ubi Tullius: praeclarum carmen: est enim et rebus et verbis et modis lugubre:

Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Jovis aram sanguine turpari.

Plauti Cas. 2, 7, 1 — 3.

Si nunc me suspendam, meam operam luserim,
Et praeter operam restim sumti fecerim,
Et meis inimicis voluptatem creaverim.

Id. Bacch. 5, 1, 8.

Chrysalus hodie me laceravit,
Chrysalus miserum spoliavit.

Terent. Adelph. 1, 1, 11. similiter sonant „alserit fregerit," Vet. Trag. ap. Cic. de div. 1, 21, 42. „suspirantibus balantibus." Varronis Fab. menipp. p. 176. ed. Oehl.

Neque orthophallicum attulit psalterium,
Quibus sonant in Graecia dicteria.
Ut comici, cinaedici, scenatici,
Qui fabularum collocant exodia.

---

* Plato jun. epigr. 2. *ἢ πιθέτω νήφειν ἢ μαθέτω μεθύειν.* Diog. Laert. 7, 21. *αἱρετώτερον εἰς κόρακας ἐμπεσεῖν ἢ εἰς κόλακας.* Herodot. 1, 207. *παθήματα μαθήματα.* Epicteti *ἀνέχου καὶ ἀπέχου.* al.

Naevii ap. Plot. Putschii p. 2650.

Ferunt pulcras creterras, aureas lepistas,
Trahuntque siccas multas machinae carinas.
Censent eo venturum obviam venturum.

Laberii prol. 25. necat enecat, et ap. Gell. 3, 12. non mammosa, non annosa, non bibosa, non procax. Attii ap. Non. p. 72, 11:

Heu vigiles properate, expergite
Pectora tarda sopore, exsurgite.

Ciceronis ipsius De suo consul. 2, 50—54.

Vitare ingentem cladem pestemque monebant,
Vel legum exitium constanti voce ferebant,
Templa deumque adeo flammis urbemque jubebant
Eripere et stragem horribilem caedemque vereri
Atque haec fixa gravi fato ac fundata teneri.

et paulo post:

Haec tardata diu species multumque morata,
Consule te tandem celsa est in sede locata,
Atque una fixi ac signati temporis hora
Juppiter excelsa clarabat sceptra columna,
Ac clades patriae flamma ferroque parata.

Ciceronem ob versum illum, quo de suppressa a se Catilinae conjuratione ipse gloriabatur,

O fortunatam natam me consule Romam.

irrisum esse videmus e Quintil. 9, 4, 41. 11, 1, 24. Senec. de ira 3, 27. Juvenal. 10, 122. Defendit tamen eum Turnebus Advers. 7, 19. et A. Schottus in libello: Cicero a calumniat. vindicat. c. 10. — Virgil. in Anthol. Meyer. 88.

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.
Sic vos non vobis nidificatis aves.
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

8. Non admodum rarus est rimus in hexametro et pentametro et vario quidem modo. Postrema sillaba duorum vel plurium versuum similiter cadit saepissime, cf. Pers. 1, 93 — 102. et ipse Virgil. Aen. 1, 276 — 279. 2, 103 — 106. 3, 698 — 701. 4, 426 — 431. 5, 181 — 184. 5, 508 — 518. Gg. 1, 110 — 114. 2, 360 — 365. 500. 501. 3, 411 — 415. 4, 274 — 277. 3, 384. 385. 408, 409. Ecl. 4, 28 — 32. 5, 57 — 61. Et duae postremae: * Lucret. 6, 995. 996. locata parata. Horat.

---

* Graecos quoque rimos non sprevisse ad tempus hi versus ostendent:

Homer. Il. 18, 46, 47. *Νημερτής τε καὶ Ἀψευδὴς καὶ Καλλιάνασσα.*
Ἔνθα δ' ἔην Κλυμένη, Ἰάνειρά τε καὶ Ἰάνασσα.

ib. 21, 523 — 525. *Ἄστεος αἰθομένοιο· θεῶν δέ ἑ μῆνις ἀνῆκεν.*
Πᾶσι δὲ θῆκε πόνον, πολλοῖσι δὲ κήδε' ἐφῆκεν.
Ὣς Ἀχιλεὺς Τρώεσσι πόνον καὶ κήδεα θῆκεν.

Odyss. 8, 147. 148. *Οὐ μὲν γὰρ μεῖζον κλέος ἀνέρος, ὄφρα κεν ᾖσιν,*
Ἢ ὅ, τι ποσσίν τε ῥέζει καὶ χερσὶν ἑῇσιν.

— — 10, 44. 45. *Αἴολος· ἀλλ' ἄγε θᾶσσον ἰδώμεθα, ὅ, ττι τάδ' ἐστίν,*
Ὅσσος τις χρυσός τε καὶ ἄργυρος ἀσκῷ ἔνεστιν.

coll. 9, 248. 249. Il. 22, 56 — 58. 2, 87. 88. 11, 24. 25. 11, 81. 82. Voss ad Hym. in Cerer. 301. 497. Similiter tragici, ut Sophocl. Aj. 807. 808.

Ἔγνωκα γὰρ δὴ φωτὸς ἠπατημένη.
Καὶ τῆς παλαιᾶς χάριτος ἐκβεβλημένη.

ibid. 1085. 1086. *Καὶ μὴ δοκῶμεν δρῶντες ἂν ἡδώμεθα,*
Οὐκ ἀντιτίσειν αὖθις ἂν λυπώμεθα.

simillter Philoct. 100 — 102. *λέγειν λαβεῖν ἄγειν.* Ajac. 62 seq. *βοῶν κομίζεται ἔχων αἰκίζεται.* Euripid. Orest. 1407 seq. Phoen. 426 seq. Aristophan. innumeris locis, ut Nub. 707 seq. Ach. 30 seq. Pac. 339 seq. 1000 seq. Anacr. 15, 20. Pindar. Ol. 6, 98 seq. — Alius generis: Philetas vel Philemon:

Βίον καλὸν ζῇς, ἂν γυναῖκα μὴ ἔχῃς.

Sappho: *Δεῦτε Μοῖσαι χρύσιον λιποῖσαι.*

Sophocl. El. 1036. Phil. 1009. inprimis in hexametro et pentametro.

Homer. hym. in Cerer. 135. *Ἀλλ' ὑμὶν μὲν πάντες ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες.*

ibid. 369. *Εὐαγέως ἔρδοντες, ἐναίσιμα δῶρα τελοῦντες.*

epist. 2, 1, 41. 42. poëtas aetas. Art. Poet. 100. 101. sunto agunto. Ovid. met. 5, 164. 165. duorum armentorum. Lucan. 7, 679. 680. paventem ferentem. Juvenal. 7, 195. 196. incipientem rubentem. Martial. 10, 72, 8. 9. imperator senator. Claudian. 28, 413. 414. tenebant tremebant. Sil. It. 8, 588. 589. virorum deorum. Isque rimus Virgilio minime spretus est. En ejus exempla:

Ecl. 4, 50. 51. Adpice convexo nutantem pondere mundum
Terrasque tractusque maris coelumque profundum.

ib. 10, 8—10. Dum tenera attondent simae virgulta capellae.
Non canimus surdis: respondent omnia silvae.
Quae nemora aut qui vos saltus habuere, puellae.

Tyrtaeus: *Οὔτε ποδῶν ἀρετῆς οὔτε παλαισμοσύνης.*

Homer. Il. 13, 217. coll. 14, 116.
Ὃς πάσῃ Πλευρῶνι καὶ αἰπεινῇ Καλυδῶνι.

ib. 2, 220. *Ἔχθιστος δ' Ἀχιλῆϊ μάλιστ' ἦν ἠδ' Ὀδυσῆϊ.*
2, 484. *Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.*
2, 475. *Ῥεῖα διακρίνωσιν, ἐπεί κε νομῷ μιγέωσιν.*
3, 84. *Ὣς ἔφαθ'· οἱ δ' ἔσχοντο μάχης ἀνεῴ τ' ἐγένοντο.*
5, 3. *Ἀργείοισι γένοιτο ἰδὲ κλέος ἐσθλὸν ἄροιτο.*
5, 239. *Ὣς ἄρα φωνήσαντες, ἐς ἅρματα ποικίλα βάντες.*
5, 529. *Ὦ φίλοι, ἀνέρες ἔστε καὶ ἄλκιμον ἦτορ ἕλεσθε.*
6, 232. *Ὣς ἄρα φωνήσαντε, καθ' ἵππων ἀΐξαντε.*
6, 343. *Τὸν δ' Ἑλένη μύθοισι προσηύδα μειλιχίοισι.*
4, 382. *Οἱ δ' ἐπεὶ οὖν ᾤχοντο, ἰδὲ πρὸ ὁδοῦ ἐγένοντο.*

Od. 4, 684. *Μὴ μνηστεύσαντες μηδ' ἄλλοθ' ὁμιλήσαντες.*
1, 397. *Αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο.*
16, 353. *Ἱστία τε στέλλοντας ἐρετμά τε χερσὶν ἔχοντας.*
11, 612. *Ὑσμῖναί τε μάχαι τε, φόνοι τ' ἀνδροκτασίαι τε.*
14, 199. *Ἐκ μὲν Κρητάων γένος εὔχομαι εὐρειάων.*
14, 371. *Ἀσπίδας, ὅσσαι ἄρισται ἐνὶ στρατῷ ἠδὲ μέγισται.*
1, 40. *Ἐκ γὰρ Ὀρέσταο τίσις ἔσσεται Ἀτρεΐδαο.*
4, 121. *Ἐκ δ' Ἑλένη θαλάμοιο θυώδεος ὑψορόφοιο.*

Hym. in Cer. 238. *Ἡδὺ καταπνείουσα καὶ ἐν κόλποισιν ἔχουσα.*

Anthol. Palat. 11, 49, 1. *Βάκχου μέτρον ἄριστον, ὃ μὴ πολὺ μηδ' ἐλάχιστον.*

Theocrit. 1, 96. coll. 18, 7. 20, 13. cf. Schrader ad Musae. p. 139 seq. Leutsch Metrik p. 93. Freese Metrik p. 94—96.

Georg. 1, 407. 408. Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
Insequitur Nisus, quo se fert nisus ad auras.
ib. 2, 343. 344. Nec res hunc tenerae possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusque calorem.
— 2, 500. 501. Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit; nec ferrea jura.
Aen. 2, 459 — 462. Tela manu miseri jactabant irrita Teucri,
Turrim in praecipiti stantem summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troia videri
Et Danaum solitae naves et achaica castra.
ib. 12, 679—682. Morte pati: nec me indecorem, germana, videbis
Amplius; hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Dixit et e curru saltum dedit ocius arvis;
Perque hostes, per tela ruit; moestamque sororem.

Georg. 2, 509. 510. patrum fratrum. 4, 340. 341. ambae ambae. Aen. 2, 341. 342. Coroebus diebus. 2, 456. 457. solebat trahebat. 3, 656. 657. moventem petentem. 4, 331. 332. tenebat premebat. 5, 385. 386. fremebant jubebant. 6, 468. 469. ciebat tenebat. 7, 187. 188. sedebat gerebat. 7, 245. 247. aras tiaras 7, 653. 654. esset esset. 8, 271. 272. semper semper. 8, 396, 397. fuisset fuisset. 8, 646. 647. jubebat premebat. 9, 182. 183. ruebant tenebant. 9, 544. 545. Helenor Helenor. 11. 886. 887. ruentum parentum. 1, 629. 630. ferebat volebat. 2, 576. 577. poenas Mycenas. Ecl. 9, 11. 12. tantum quantum. A. 4, 189. 190. replebat canebat. 10, 804. 805. arator viator. — Audi Modestini cujusdam lepidum epigramma in Anthol. 231.

Forte jacebat Amor victus puer alite somno
Myrti inter frutices pallentis roris in herba.
Hunc procul emissae tenebrosa Ditis ab aula
Circumeunt animae, saeva face quas cruciarat.

Ecce meus venator! ait, hunc, Phaedra, ligemus.
Crudelis, crinem, clamabat Scylla, metamus,
Colchis et orba Progne, numerosa caede necemus,
Dido et Canace, saevo gladio perimamus,
Myrrha, meis ramis; Evadne, igne crememus,
Hunc, Arethusa inquit Biblisque, in fonte necemus.
Ast Amor evigilans dixit: mea penna, volemus.

Una sillaba in medio et fine versus similiter cadit innumeris locis. Audiamus primum Virgilium Aen. 3, 381.

Principio Italiam, quam tu jam rere propinquam.
ib. 383. 384. Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante et Trinacria lentandus remus in unda.
ib. 398 — 400. Effuge, cuncta malis habitantur moenia Grajis.
Hic et Narycii posuerunt moenia Locri
Et Sallentinos obsedit milite campos.
9, 124. Turbatis Messapus equis, cunctatur et amnis.
4, 426. 9, 634. Gg. 3, 399. 380. 383. 388. 389. 390. 408. 409. 395. 398. Juvenal. 10, 122. 6, 177.

Sanguine causidici maduerunt nostra pusilli.
Atque eadem scrofa Niobe fecundior alba.

Ovid. Her. 13, 89. 90. Ut vidi, ingemui tacitoque in pectore dixi
Signa reversuri sint, precor, ista viri.
— — 16, 133. 134. Ut vidi, obstupui praecordiaque intima sensi
Attonitus curis intumuisse novis.
— — met. 7, 727. Ut vidi, obstupui meditataque paene reliqui.
Propert. 1, 18, 1. 2. Et merito, quoniam potui fugisse puellam!
Nunc ego desertas alloquor alcyonas.

Horat. ep. 1, 1, 68. An qui Fortunae te responsare superbae.
— — 1, 2, 16. Iliacos intra muros peccatur et extra.
— — — 22. Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
— — 1, 2, 32. Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.
— — 1, 8, 6. Nec quia longinquis armentum aegrotet in agris.

Horat. ep. 1, 8, 10. Cur me funesto properent arcere veterno.
— — 1, 8, 14. 15. Ut placeat juveni percontare utque cohorti.
Si dicet, recte, primum gaudere, subinde.
— — 1, 19, 11. Mandabo siccis, adimam cantare severis.
— — 2, 1, 100. Quod cupide petiit, mature plena reliquit.
— serm. 1, 4, 19. At tu conclusas hircinis follibus auras.
— — 2, 8, 1. Ut Nasidieni juvit te cena beati?

Cicero ap. August. C. D. 5, 8. Juppiter auctiferas lustravit lumine terras.

Idem ap. Priscian. 6, 1, 3. Quem neque tempestas perimet neque longa vetustas.

ap. Sueton. in vita Terentii 5.
Quidquid come loquens atque omnia dulcia dicens.

Q. Cicero in fragg: Crede ratem ventis, animum ne crede puellis.

Ennius: Horrida romuleum certamina pango duellum.

Claudian. 1, 102. 142. Auson. Mosell. 276. 279. 282. 286. 288. 304. 305. 321. — Duae sillabae in medio et fine similiter cadunt non minus saepe, idque docet quasi Incertus auctor De Fig. 97. 98:

Confine est, simili fini cum claudimu' quaedam:
Quo minus indignatur, eo magis insidiatur.

Contentus sis ad tempus his paucis: Ennius:

Cives romani tunc facti sunt Campani.

Lucret. 2, 394. Aut magis hamatis inter se perque plicatis.

Martial. 8, 77, 1. Liber, amicorum dulcissima cura tuorum.
— — 5, 15, 1. Quintus nostrorum liber est, Auguste, jocorum.
— — 7, 43, 3. Diligo praestantem, non odi, Cinna, negantem.
et 10. 92, 10.

Stat. Theb. 5, 557. Torvus ad armorum radios fremitumque virorum.

Id. Silv. 2, 5, 7. Occidis, altarum vastator docte ferarum.

Sil. It. 12, 210. Vincebat clamore tubas vocisque vigore.

Claudian. 31, 85. Altera, cunctorum tabulas assignat honorum.

Claudian. 1, 93. Flava cruentarum praetenditur umbra jubarum.
Auson. Id. 11, 2. Vel tria potanti vel ter tria multiplicanti.
— Mosell. 273. Desperatarum potientes rursus aquarum.
Petron. in Anthol. 150. Quique renascentem cernuntque cadentem,
Major in externas Ithacus descendat arenas.

cf. Horat. epist. 1, 14, 7. 1, 2, 12. Virg. A. 10, 797. 9, 618 (coll. Ovid. met. 6, 639). 12, 373. 9, 634. 10, 554. Ecl. 8, 80. Ovid. met. 1, 39. 13, 379. 2, 398. 13, 224. 11, 378. trist. 5, 14, 9. fast. 2, 827. 3, 746. 6, 653. 3, 487. 5, 665. ex Pont. 2, 5, 67. 3, 9, 7. Her. 5, 131. medic. faciei 82. Tibull. 1, 9, 23. Propert. 3, 7, 1. Lucan. 3, 161. 621. 6, 457. 1, 329 cum Oudend. et interpp. ad Pers. 1, 92 — 95. et quae Lachmannus docturus est.

---

9. In veteribus vero exemplis, quibus in medio et fine similiter sonant sillabae et rhythmo recentiorum populari praeludunt, verum rimum non esse putandum, putatum esse ab hominibus, qui ex arte legere nesciverint, contendunt et obtinent viri rhythmis inimici: postremam scilicet sillabam mediae vocis in arsi esse et postremam versus in thesi. Audiamus Lachmannum ad Propert. 1, 18, 5. ad istum versum:

Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti.

„Hanc consonantiam „absenti venti," quae viris doctis dudum displicuit, Waardenburgius tollit corrigendo „adversi venti." Vereor, ne frustra ingeniosus fuerit. Nam iste sonus romanas aures non offendit, si versus ex arte legatur. Sed scilicet pauci hodie inveniuntur, qui versus latinos recte pronunciare sciant; quod ii demum recte facient, qui in Italicis artem usu didicerint. Habent suos accentus singula verba, habet et versus sillabas ictas depressasque: haec inter se plerumque dissidentia qui recte conjunxerit, ita ut ipsi veteres leget veterum poëtarum versiculos. Est ubi magis audiatur accentus versus, ut in his:

Quin etiam ábsenti prosunt tibi, Cynthia, venti.
Nec tibi týrrhena solvatur funis arena.
Tum caput órantis nequidquam et multa parantis (Virg. A. 10, 554).
Vir precor úxori, frater succurre sorori (Ovid. Her. 8, 29).
Servat enim formáturam servatque figuram (Lucret. 4, 558).
Item in his: Virgil. A. 9, 634. Ovid. A. A. 1, 59. met. 3, 73):

Trajicit. I, verbis virtutem illude superbis.
Quot coelum stellás, tot habet tua Roma puellas.
Plaga recens, plenis tumuerunt guttura venis.

quamquam hi minus facile feruntur, quoniam postrema sillaba in vocabulis latinis acui non vult. Interdum vocabulorum accentus praevalet, tanquam in hoc Virgil. A. 3, 549.

Oraque velátarum obvertimus antennarum.

et si qua alia sunt, in quibus ultima sillaba liquescente accentus retrahitur." Duae insuper posteriores literae in „velatarum" absorbentur a sequenti vocali, quod etiam fit Horat. serm. 1, 10, 19. cf. et Freese Metrik p. 94 seq. Hertzberg ad Propert. 1 p. 175. seq. Obbar. ad Horat. epist. 1, 1, 68 p. 82. interpp. ad Virgil. A. 4, 256. Pers. 1, 93. Apud veteres poëtas in pentametro his quinque modis rhythmus locum habet, quod bene observavit Lachmannus ad Propert. 1, 5, 20. 1) Si versus sententia duabus partibus constat, in quibus plerumque aliquid oppositionis inest, ut:

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.
Ambos una fides auferet, una dies.
Atque satur cibo sit madeatque mero.
Clare decore tuo, care favore meo.

2) Alii versus sunt, in quibus postrema prioris hemistichii dictio cum omnium ultima conjungit sensus, vel ita ut ad unum subjectum utraque pertineat, hoc modo:

Neve quis invitam cogeret esse suam.
vitaeque fateri
Tot mala perpessae taedia nata meae.

Vel uti alterum ab altero suspensum sit, sive, quod omnium frequentissimum genus, adjectivum substantivo adhaereat, ut:

Tulle, neque aegaeo ducere vela salo.

sive genitivus adjectivi loco ponatur, qualis est „terrae" in hoc versu:

Et maris et terrae caeca pericla viae.

„viae terrae," viae terrestris.

3) Si in alterutro loco verbum est:

Et breve in exiguo marmore nomen ero.
Unum impetrassem te revocante diem.
Pristina vota novo munere dissoluo.
Et mihi si non vis parcere, parce tuis.

4) Si sensus et interpunctionis beneficio similitudo soni minus apparet, ut:

Posses frui. fruar o solus amore meo.
Cacus et Alcides sic ait: ite boves.
Ipse sono tenui dixit: Elissa veni.
Nec numeros Danai militis: ipsi veni.

5) Si bona pronunciatione consonantia tollitur:

Aut cur sive toto corpore nullus ego.
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Me miseram quales semper habere jubes.
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

Aliae enim vocales in „toto" et „pueris," atque in „ego" et „eris;" tum „qualis" et „ovis" leges, non „quales oves"que. Huc et Tibulli illud pertinet 1, 3, 54.

Sola feror Hecates perdomuisse canes.

Litera e in „canes" aliud, alliud sonat in „Hecates" nomine. Multis locis ad consonantiam tollendam viri docti correxerunt, ut Lachmannus Propert. 1, 5, 20.

Discere et exclusum quid sit abire domo,

pro „domum." Sed jam Jacob non auscultavit.

P. III. DE AEVI MEDII RHYTHMIS.

10. Tum vero sub Imperatoribus christianis, sed potissimum sub Regibus barbaris multus rhythmorum usus erat non ad maledicentiam vel vituperationem, ut apud Romanos § 2, sed ad honesta quaevis argumenta ac praecipue ad laudem dei et sanctorum. Vulgus romanum imitantes prosodiae legibus pauci studebant (cf. Grimmii praef. ad poëmata lat. sec. X. p. XX — XXIII. et Dumerilii Poésies populaires lat. du moyen âge. p. 11), eratque iis levius negotium sese exercere in rhythmis, quod id genus lucubratiunculae minus curae atque laboris exigeret. Proinde videas cum graecis et romanis grammaticis scriptores medii aevi tum rhythmica tum metrica opuscula distinguere et commemorare et illis consimilia tradere. Praeter Longinum praef. ad Hephaest. enchir. c. 5. ed. Gaisf. p. 148 seq. et Quintilian. 9, 4 (cf. supra § 1) audiatur Marius Victorinus De ratione metrorum p. 2485 (in Putschii Corp. Grammat.): „Rhythmus est pedum temporumque junctura velox divisa in arsi et thesi; vel tempus quo sillabas metimur, latine numerus dicitur. — Differt autem rhythmus a metro, quod metrum in verbis, rhythmus in modulatione ac motu corporis sit, et quod metrum pedum sit quaedam compositio, rhythmus autem temporum inter se ordo quidam, et quod metrum certo numero sillabarum vel pedum finitum sit, rhythmus autem nunquam numero circumscribatur; nam ut volet protrahit tempora, ita ut breve tempus plerumque longum efficiat, longum contrahat. Unde et rhythmus id est a ῥύσει et fluore quodam nuncupatur." Deinde saeculi V. Attilius Fortunat. ib. p. 2689. „Inter metrum et rhythmum hoc interest, quod metrum circa divisionem pedum versatur, rhythmus circa sonum, quod etiam metrum sine psalmate prolatum proprietatem suam servat,

rhythmus autem nunquam sine psalmate valebit." Idem p. 512. „Varro dicit inter rhythmum, qui latine numerus vocatur, et metrum id interesse, quod inter materiam et regulam." Et Maximus Victorinus ib. p. 1955: „metrum est rei cujusque mensura, metrum vero poëticum est versificandi disciplina, certa sillabarum ac temporum ratione in pedibus observata. Inde autem sic dictum est, quod veluti mensuram quandam praestituat, a qua si plus minusve erit, pes sive versus minime constabit; cui rhythmus est consimilis, qui sic definitur: est verborum modulatio et compositio non metrica ratione, sed numeri sanctione ad judicium aurium examinata, veluti sunt cantica poëtarum vulgarium. Ergo is in metro non est nec potest ullo pacto inesse, sed hoc distat a metro, quia rhythmus sine metro esse potest, sine rhythmo metrum non potest, quod liquidius ita definitur: metrum est ratio cum modulatione, rhythmus sine ratione. Plerumque tamen casu quodam invenias etiam rationem metricam in rhythmo non artificii ratione observata, sed tono et ipsa modulatione ducente." Eum exscripserunt Beda Venerabilis saec. VIII. in libro De metris ib. p. 2380 (= Opp. T. 1. col. 41) et Hucbaldus (qui obiit 937. cf. Hoffmanni Elnonensia, monuments des langues romane et tudesque. Gand 1837. p. 16.) in Music. disciplina c. 34. „rhythmica est, quae incursionem requirit verborum, utrum sonus bene an male cohaereat; rhythmus namque metris videtur esse consimilis: quae est modulata verborum compositio non metrorum examinata ratione, sed numero sillabarum atque a censura dijudicatur aurium, ut pleraque Ambrosiana carmina; unde illud

O rex aeterne domine,
Rerum creator omnium,
Qui eras ante saecula
Semper cum patre filius *

ad instar metri jambici compositum; nullam tamen habet pe-

* Is hymnus matutinus sexaginta quatuor versuum receptus est a Daniel. Thesaur. hymnolog. 1. p. 85. 86.

dum rationem, sed tantum concentus est rhythmica modulatione. Qui scintillam vel perparvam habet metrorum, hic cognoscere valet nostrum de hac re sermonem. Etenim metrum est ratio cum modulatione, rhythmus vero est modulatio sine ratione et per sillabarum discernitur numerum." Remigius altissiodorensis, qui vixit 890. in Gerberti Scriptt. music. 1 p. 68. a: „hoc interest inter rhythmum et metrum, quod rhythmus est sola verborum consonantia, sine ullo certo numero et fine et in infinitum funditur nulla lege constrictus, nullis certis pedibus compositus; metrum autem pedibus propriis certisque finibus ordinatur." Nihil praecipui habet S. Augustinus, qui libros sex de re musica conscripsit, lib 3. c. 1. 2. Brevior est Isidorus Orig. 1, 38, 3. „versui adhaeret rhythmus, qui non est certo fine moderatus, sed tamen rationabiliter ordinatis pedibus currit, qui latine nihil aliud quam numerus dicitur, de quo est illud (Virgil. Ecl. 9, 45):

Numeros memini, si verba tenerem."

Operae pretium est audire Milonem monachum elnonensem, mort. 872. De sobrietate, ap. Dumeril. p. 11.

Posthabui leges, ferulas et munia metri,
Non puto grande scelus, si sillaba longa brevisque
Aetera in alterius dubia statione locetur.
Quodsi, ut credo, nequit carmen jam jure vocari,
Sit satis huic saltem conferri nomine rhythmi.

S. Bonifacius episcopus moguntinus circiter an. 740. Epist. IV. scribit: „Obsecro, ut mihi Aldhelmi* episcopi aliqua opuscula seu prosarum seu metrorum aut rhythmicorum dirigere digneris." Ita Alvarus hispanus scriptor circ. an. 847. in vita S. Eulogii haec habet verba: „Epistolatim invicem egimus et rhythmicis versibus nos laudibus mulcebamus," Petrus Mauritius Venerabilis saec. XII. hymnos, prosas, versus, rhythmos conscripsit, in Bibl. cluniac.

* Hujus Aldhelmi, mortui an. 709. librum De re grammatica ac metrica Angelus Maius e cod. venetiano edidit in Classic. Auct. V. p. 501 seqq. Opera omnia Giles. Oxon. 1844. 8.

p. 1337. J. a Bosco Bibl. floriac. p. 376. et Ekkehardus circ. an. 1030. in vita beati Notkeri Balbuli c. 33. scribit: „Sequentias,* quas idem pater sanctus fecerat, destinavit per bajulum urbis Romae Papae Nicolao et Liutwardo vercellensi episcopo, tunc tempore Caroli Magni Imperatoris (i. e. Caroli Crassi circ. an. 883). Qui venerandus apostolicae sedis pontifex omnia quae beatus vir Notkerus dictaverat canonizavit, videlicet hymnos, sequentias, tropos, letanias omnesque cantilenas rhythmice, metrice, vel prosaice quas fecerat." Praeterea idem Ekkehardus vel alius cap. 1. De casibus S. Galli (ap. Pertz. Monument. German. II. p. 91. cf. Grimmii praef. ad Lat. Ged. p. XXX) agens de Salomone abbate et ab an. 895 — 919 episcopo constantiensi haec tradit auditu jucundissima. „Scholas praeteriit — erat autem hic dies scolarium, hostium quoque ut quomodo se haberent perspiceret, aperuit et intravit. Erat utique jus illorum, sicut adhuc hodie quidem est, quoniam exleges quidem sunt, ut hospites intrantes capiant, captos, usquedum se redimant, teneant.** Post multa parvuli latine pro nosse, medii rhythmice, ceteri vero metrice illum affantur:

Quid tibi fecimus tale, ut nobis facias male?
Appellamus regem, quia nostram fecimus legem.

At alter versificator dixit:

Non nobis pia spes fuerat, quum sis novus hospes,
Ut vetus in pejus transvertere tute velis jus.

* Melodias ante evangelium concinendas dicunt *sequentias*, quia sequitur eas evangelium. *Tropi* in re liturgica sunt versiculi ante vel inter vel post alios cantus ecclesiasticos appositi, festivae laudes, fignrata quasi ornamenta in laudibus domini. De prosis dicturi sumus § 11. cf. Gerbert De cantu et musica sacra T. 1. p. 340 seqq. 370 seqq. Notkeri sequentias e cod. monacensi recudendas curavit harum rerum peritissimus Daniel in Thesauro hymnol. T. II. p. 3 — 31. De isto coenobita claro S. Galli cf. Graesse Lehrbuch einer allgem. Literaergesch. II, 1. p. 225. 226. 385. Baehr Karoling. Literat. § 46.

** Vide quam vetustus sit abusus, qui in gymnasio ticinensi diu perdurabat. Spupillare, spippolare appellabant Itali, i. e. aperte et libere loqui.

Quibus similia narrat Wright Biographia britannica liter. T. II. p. 364 in descriptione scholarum londinensium saeculi XII: „Pueri diversarum scholarum versibus inter se conrixantur aut de principiis artis grammaticae vel regulis praeteritorum vel supinorum contendunt. Sunt alii qui in epigrammatibus rhythmis et metris utuntur vetere illa triviali dicacitate; licentia fescennina socios suppressis nominibus liberius lacerant, loedorias jaculantur et scommata, salibus socraticis sociorum vel forte majorum vitia tangunt, vel mordacius dente rodunt theonino* audacibus dithyrambis.“ Sic Hermannus Contractus, qui vixit an. 1040. in cod. emmeram. G. 73 biblioth. monacensis, rhythmicum hunc versum habet:

Carmen, oro, pange metro seu canore rhythmico. — Vir insignis Grimmius praefat. p. XXXI — XXXIII. illius Ekkehardi rhythmos in laudem S. Galli edidit, quorum prima stropha haec est:

Nunc incipiendum est mihi magnum gaudium.
Sanctiorem nullum quam sanctum unquam Gallum
Misit filium Hibernia, recepit patrem Suevia.
Exsultemus omnes, laudemus Christum pariles
Sanctos advocantem et glorificantem.

11. Carmina ad formam metrorum concepta, sillabarum numero, legibus vero neutiquam, quae non ut metrum cantabantur, sed ut prosa legebantur, dicuntur *prosae*, neque a sequentiis differre videntur (cf. Du Cangius Glossar. med. latin. in voc.). Sic habemus prosam Petri cluniacensis De laudibus B. Virginis, prosas alias de laudibus Sanctorum, notissimum hymnum „Te deum laudamus, te dominum confitemur“, qui Hilarii pictaviensis, circ. an. 368. mortui (Baehr Christl. Dichter § 15.) videtur (cf. Kehrein ad Antholog. lat. poëtar. christ. 1. p. 47. Daniel II. p. 276 seq. Duméril p. 26). Eam rem luculenter significant e saeculo X. rhythmi ap. Duméril p. 61 — 70. qui ita incipiunt: „Quid dulcius, fratres carissimi, poterit a Chris-

* Ex Horat. epist. 1, 18, 82. est idem quod „maledico dente carpere“ ap. Ciceron. pro Balb. 26, 57.

tianis audiri — quam quando per suorum laudem Sanctorum laus et gloria redditur creatori. — Excitatur enim ad promittentis amorem mens audientium — cum praesentialiter cernitur completio promissorum" et finiunt: „Per cujus nos omnes deposcimus patrocinium, — ut misericordiam habeamus apud dominum, — qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum." et in not. p. 62. e speculo humanae salvationis: „Incipit speculum humanae salvationis, in quo patet casus hominis et modus reparationis. In hoc speculo potest homo considerare quam ob causam creator omnium decrevit homines creare. Pater hominum videns quomodo per diaboli fraudem sit damnatus et quomodo per misericordiam dei sit reformatus." De prosa monachorum rimata cf. § 3. fin. et Wackernagelii nostri Deutsch. Literat. § 40. — Rhythmi amant motum trochaicum et jambicum, quibus aliquando inserti pyrrhichii numeri. Venantius Fortunatus saeculi VI. hymni illius (ap. Daniel 1 p. 163 — 165. cf. Gerbert De cantu 1 p. 83. Baehr § 33) auctor fertur, qui exorditur:

Pange lingua gloriosi proelium certaminis
Et super crucis tropaeo dic triumphum nobilem,
Qualiter redemtor orbis immolatus vicerit.

Ejusdem motus sunt Anonymi hymnus ap. Dan. 1 p. 191.

Hymnum dicat turba fratrum, hymnum cantus personet,
Christo regi concinentes laudes demus debitas.

et p. 194. 195.

Apparebit repentina dies magna domini,
Fur obscura velut nocte improvisos occupans.

et p. 200. 220. 224. 241. 251. 309 — 317. Eodem rhythmo concepta sunt etiam alia argumenta: rhythmus de Ludovico II. Imperatore per Adelchim seu Adelgisum Beneventi principem capto compositus anno 871 vel 872 (ap. Murator. Rer. Ital. III. p. 711. 712):

Audite omnes fines terrae errore cum tristitia,
Quale scelus fuit factum Benevento civitas.

Lhudoicum comprenderunt sancto pio Augusto.
Beneventani se adunarunt ad unum consilium.
Adalferio loquebatur et dicebant principi:
Si nos eum vivum dimittemus, certe nos peribimus.
Scelus magnum praeparavit in istam provinciam;
Regnum nostrum nobis tollit, nos habet pro nihilum;
Plura mala nobis fecit. Rectum est, ut moriat etc.

Motus jambici exempla innumera sunt. § 22. Versus hendecasillabus a rhythmopoeiis etiam ac metricis poëtis excultus est, ut a Prudentio (cf. ejus hymnus „Pastis visceribus ciboque sumto" p. 51. ed. Plant. 1564 = 14 — 17. edit. Obbar.). Inter opera Walafridi legitur pia oratio, e qua nonnullos versus decerpo:

O rerum sator | omnium tremende,
Dum poenas crucis | innocens luisti,
In quo nil nisi | repperis ruinam.

Specimen dodecasillaborum versuum idem dedit:

Legistis, meminit | vestra sagacitas,
A multis egomet | sordibus obsitus
Donari veniam | credo sagaciter etc.

cf. Canis. Lectt. Antiqq. II, 2. pag. 176 seq. Bibl. Patr. Lugd. XV. p. 202 et Diez Ueber den epischen Vers in Altroman. Sprachdenkmal. p. 75 seq. 105 seq. 126 seq. Ipsum hexametrum eadem ratione imitati sunt tanta tamen asperitatis facie interdum, ut nisi qui praevia rei cognitione rhythmos ibi quaerit miserum indoctae gentis conatum in aemulando nobili metro animadvertat. Viri literati usi sunt sermone latino, reliqui scripserunt, ut verbis utar Crescimbeni, latinamente in volgare e volgarmente in latino.* Muratorius e saeculo IV. (T. III. p. 680. seq.) edidit:

* Illo abusi sunt poëtae macaronici, quorum princeps erat Benedicti ordinis Teofilo Folengo mantuanus, nat. 1491. notior nomine Merlino Cocajo. cf. Genthe Geschichte d. macar. Poësie und Sammlung ihrer vorzügl. Denkmale. Halle und Leipz. 1829. Eichstadii disputationes acad. Jenae 1831. seqq.

Hercules, quod monstrum Aventini montis elisit,
Evandri, qui solitus erat armenta furari,
Rustica mens hominum indocilis quoque pro laude
Quum gratias agere vellent, absenti Tonanti etc.

et e saeculo VIII.

Hic sacra beati membra Cumiani solvuntur,
Cujus coelum penetrans anima cum angelis gaudet.
Iste fuit magnus dignitate, genere, forma,
Hunc misit Scothia fines ad italicos senem etc.

item: Coelicolae sic demum ejus prosapiam texam.
Mater vixit virginum per annos nimium plures,
In grege dominico pascens oviculas Christi,
Quas fovens docuit, arguit, correxit, amavit etc.

item saeculi VII:

Quis mihi tribuat, ut fletus cessent immensi
Et luctus animae det locum vera dicenti;
Licet in lacrimis singultus verba erumpant,
De te certissime tuus discipulus loquor etc.

item ex paganorum temporibus:

Tu dum esses ad superos, nemo mihi fuit formosior ulla,
Quae prostrata jaces indigna circumdata terrae,
Quae caruisti viam luci secuta es. —
Sic merito tales versus descripserim in te
Non studio sed mente data et cogente dolore.
Haec mihi Titiane primum in connubio juncta est,
Haec prima doloris dulcior in me fuit etc.

Et diu quidem ejusmodi plebeiorum versuum usus perduravit, quod indicat inscriptio circ. an. 1014. Romae posita:

Petrocio requiescunt hic sepultaque membra.
Recte bonus sapiensque fuit; nam genere magno
Erat formosusque, praeclarus, largus amicis etc.

12. *De psalmis et hymnis ecclesiae antiquae.* Davidis inprimis psalmos quaeque in Vetere Testamento exstant cantica dei colendi causa cantata esse inde a primis saeculis testantur Tertullianus De anima c. 9. coll. De jejunio c. 13 Origines T. II. p. 516. ed. Delar. et Constitutiones Apostolorum 2, 57. 5, 19 (cf. de iis Monei Lat. und griech. Messen aus dem II. bis VI. Jahrh. p. 63 seq.) unde cum Moneo l. l. p. 9 et Bucheggero (De origine sacrae Christ. poës. Freiburg. 1827. p. 12 — 20) arbitramur poësin christianam nominatim e psalmis, canticis prophetarumque scriptis originem duxisse et solemnes fidelium preces antiquissimas psalmi speciem prae se ferre. cf. Act, Apost. 4, 24 — 30; idemque non immerito censet p. 20 seqq., quum Hebraeorum poësis haut dubie certo potius sillabarum numero partiumque similitudine sive parallelismo quam metro proprie dicto constet, christianorum quoque poëtarum hebraicos hymnos imitantium sermonem fluxisse certo quodam et haut impari verborum numero inclusum, liberum et solutum,* illucque hymnum nostrum triumphalem referendum esse (Luc. 2, 14):

---

* Canticum Mosis, proverbia Salomonis, totus fere liber Job quadam rhythmi necessitate cohibentur, qui rhythmus est instar duarum dimetriarum jambicarum et tinnulus accidit ad aures. In Novo etiam Testamento ad certum aliquod metrum revocari possunt haec:

Ep. ad Tit. 3. 3. *ἦμεν γὰρ ποτὲ καὶ ἡμεῖς ἀνόητοι ἀπειθεῖς.*
— — — — 2. *μηδένα βλασφημεῖν, ἀμάχους εἶναι, ἐπιεικεῖς.*
— — Hebr. 12, 13. *καὶ τροχιὰς ὀρθὰς ποιήσατε τοῖς ποσὶν ὑμῶν.*
— — Tim. 1, 6, 16. *οὐδεὶς ἀνθρώπων οὐδὲ ἰδεῖν δύναται.*
— — Jacob. 4, 4. *ἡ φιλία τοῦ κόσμου ἔχθρα τοῦ θεοῦ ἐστιν;*
— — Rom. 8, 39. *τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν.*
— — — 6, 13. *καὶ τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα δικαιοσύνης.*

Evang. Matth. 14, 14. *εἶδε πολὺν ὄχλον καὶ ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοῖς.*
— — 23, 6. *καὶ τὰς πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς.*
— Joan. 17, 20. *καὶ περὶ τῶν πιστευόντων διὰ τοῦ λόγου αὐτῶν.*
— — 19, 39. *ἦλθε δὲ καὶ Νικόδημος ὁ ἐλθὼν πρὸς τὸν Ἰησοῦν.*
— — 13, 5. *βάλλει ὕδωρ εἰς τὸν νιπτῆρα καὶ ἤρξατο νίπτειν.*

Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ
Καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη,
Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία κ. τ. λ.

(cf. Daniel II p. 267 — 275. Duméril p. 26. 447 not.) et illam stropham

Ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου
Ἐλέησον ἡμᾶς,
Ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου
Πρόσδεξαι τὴν δέησιν ἡμῶν,
Ὁ καθήμενος ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρός
Ἐλέησον ἡμᾶς.

perspicuam quandam cum Judaeorum hymno triumphali, Psalm. 136. similitudinem habere et hunc ex Judaeorum hymnis esse factum integrosque ex iis versus continere:

Καθ' ἑκάστην ἡμέραν εὐλογήσω σε
Καὶ αἰνέσω τὸ ὄνομά σου εἰς τὸν αἰῶνα
Καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος (ex psalm. 145, 2. vulg. 144, 2).
Καταξίωσον κύριε καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην
Ἀναμαρτήτους φυλαχθῆναι ἡμᾶς.
Εὐλογητὸς εἶ κύριε ὁ θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν,

Evang. Joan. 13, 16. *οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ.*
— — 16, 28. *ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ ἐλήλυθα εἰς τόν.*
— — 5, 19. *οὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδέν.*
— Luc. 14, 30. *οὗτος ὁ ἄνθρωπος ἤρξατο οἰκοδομεῖν.*
— — 31, 18. *θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται.*

Notiores erunt duo quatern. jamb.: *ζητεῖτε καὶ εὑρήσετε, αἰτεῖτε καὶ δοθήσεται* et duo senar. jamb. in oratione dominica:

τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δίδου.
τὸ καθημέραν καὶ ἄφες ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας.

Alia innumera. cf. Wineri Neutestam. Grammat. § 68. Idem valet de multis locis veteris bibliorum versionis, ut Psalm. 51.

Imponunt super altare tuum vitulos.

Duo pentametri Evang. Matth. 11, 21. et Joan. 8, 12.

Vae tibi, Chorazim, vae tibi, Bethsaida.
Qui sequitur me non ambulat in tenebris.

Καὶ αἰνετὸν καὶ δεδοξασμένον τὸ ὄνομά σου εἰς τοὺς αἰῶνας
Ἀμήν (ex Dan. 3, 26).
Εὐλογητὸς εἶ κύριε, δίδαξόν με τὰ δικαιώματά σου (Psalm. 119, 12).
Κύριε καταφυγὴ εγενήθης ἡμῖν ἐν γενεᾷ καὶ γενεᾷ (ex 90, 1).
Ἐγὼ εἶπα, κύριε ἐλέησόν με,
Ἴασαι τὴν ψυχήν μου, ὅτι ἥμαρτόν σοι (ex 41, 4).
Κύριε πρός σε κατέφυγον,
Δίδαξόν με τοῦ ποιεῖν τὸ θέλημά σου ὅτι σὺ εἶ ὁ θεός μου
(ex 143, 9. 10).
Ὅτι παρά σοι πηγὴ ζωῆς,
Ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς,
Παράτεινον τὸ ἔλεός σου τοῖς γινώσκουσίν σε (ex 36, 9. 10).

et eundem, addimus cum Daniel. II p. 289. fontem esse hymni angelici et „Te Deum laudamus." Fragmentum cantus cujusdam ecclesiastici, qui Pauli Apostoli aetate cani moris fuerit, verba illa in Epist. ad Ephesos 5, 14. a nonnullis habentur viris doctis:

Ἔγειρε ὁ καθεύδων
Καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν,
Ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός.

Ad poësin Christianorum antiquissimam referuntur etiam verba saepius repetita:

Ἐγώ εἰμι τὸ ἄλφα καὶ τὸ ὦ μέγα,
Ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος.

vel quod ex Jesaiae visione inaugurali (cap. VI.) desumtum est *τρισάγιον*:

Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος
Κύριος ὁ θεὸς, ὁ παντοκράτωρ,
Ὁ ἦν καὶ ὁ ὢν
Καὶ ὁ ἐρχόμενος (Apocal. 4, 8).

vel canticum Mosis:

Μεγάλα καὶ θαυμαστὰ τὰ ἔργα σου,
Κύριε ὁ θεὸς, ὁ παντοκράτωρ,

Δίκαιαι καὶ ἀληθιναὶ αἱ ὁδοί σου,
Ὁ βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν κ. τ. λ. Apoc. 15, 3).

Quo et referri possunt ejusdem Joannis ib. 1, 4—8. 5, 9 seq. 11, 15—19. 15, 3. 4. 21, 1, 8. 22, 10—18. cf. Augusti Denkwürdigk. aus der christl. Archaeol. V. p. 250—258. Duméril poésies popul. p. 22 seq.

---

13. Minime tamen dubitandum et Eusebius testatur (hist. eccles. 5, 28. 2, 16.) veteres Christianos praeter illos psalmos, hymnos, cantica, quibus in honorem dei inter divinas laudes e codice veteris testamenti utebantur, hymnos psalmosque novos condere consuevisse omni metrorum et rhythmorum genere. Praecipuos poëtas excitabimus § 16. cf. Gerbert De cantu et musica sacra 1, 2. et, ubi post Leyserum Histor. poëtar. et poëm. medii aevi, Hal. Magdeb. 1721. 8. hymnorum auctores recenset T. II p. 21 seqq. Kehrein Lat. Anthol. aus den christl. Dichtern des Mittelalt. T. 1. Francof. 1840. 8. Graesse II, 2. p. 871—873. Altero saeculo qui solemnia seu missas dicebant (Mone Messen p. 3. 12. 13) jam libellos id est parva missalia habebant, quibus mutantes tantum cantilenae et preces (propria, proprietates) continebantur, quum constantes memoria tenerent, quarum rerum locupletissimi testes sunt Missae, quas Moneus V. C. nobis servavit. Hymni vero illi antiquiores metro adstricti non erant. Audiatur Walafridus Strabo saeculi noni (cf. Baehr Gesch. d. Karoling. Literat. § 38 et 156) De exordiis et incrementis rerum ecclesiast. cap. 25. „notandum autem hymnos dici non tantum, qui metris vel rhythmis decurrunt, quales composuerunt Ambrosius, Hilarius et Beda Anglorum Pater et Prudentius Hispaniarum scholasticus et alii multi; verum etiam ceteras laudationes, quae verbis convenientibus et sonis dulcibus proferuntur. Unde et liber psalmorum apud Hebraeos liber hymnorum vocatur." S. Bernardus in epistola

quadam aperte dicit: „Quod ad cantum spectat, hymnum composui metri negligens ut sensui non deessem." Qui correxerunt hymnos Breviarii romani aetate Urbani VIII. praefat. edit. roman. 1529. „Viri sanctissimi, si non certis illos pedibus, aliquibus tamen incisis partiti, auribus indulgentes, oratione non omnino soluta scripserunt."

P. IV. DE RIMIS MEDII AEVI.

---

14. *Quae gens rimos invenerit** jam pridem concertatum est et nunc etiam disceptatur. Ex opinione pervulgata saeculo circiter octavo per orientis gentes in Europam, inprimis per Arabes ad Provinciales perlati sunt. (Ewald De metris carminum arabic. Brunsvig. 1825. 8. Freytag Darstell. d. arab. Verskunst. Bonn 1830. 8. Sacy in Journal d. Savans 1831. p. 172 — 185. Graesse II, 2. p. 938. cf. et Teipel Vom Reime im Hebräischen, in Jahnii et Klotz. Archiv 1846. XII, 2. p. 249 — 268). Quod si verum esset, Romani, quibus multus usus et consuetudo cum populis Asiae et Numidiae intercedebat, rimos magis coluissent praetereaque ex iis quae jam exhibuimus satis apparet ante illud saeculum a poësi romana rimos esse exceptos. Naturae magis accommodatum est et probabilior conjectura eos deberi linguis celticis et germanicis, quarum rhythmus fundamento accentus, non quantitatis syllabarum nititur, requisitosque esse inde ab eo tempore, quo antiqua ratio versuum quae periit cum rhythmo et rimo compensari debuerit. Res est non parvi momenti Ambrosium, qui primus e Christianis rimos scripsisse putatur, arelatensem vel treverensem esse

---

* Crokeum quendam ea de re scripsisse, Essay on the history of rhythming latin verse, video e nota Dumérilii p. 125.

et postea quam domi literis imbutus fuerit Romam migrasse; Augustinum Numidam popularium gratia, quo melius memoriae inhaereret, illum psalmum p. 56. per rimos fecisse; Commodianum item africanum, Venantium Fortunatum Turoni et Pictavii episcopum fuisse; Prudentium Hispanum ut Eugenium, Columbanum Hibernum, qui in Britannia, Burgundia, Gallia aetatem egerit; Drepanium Florum Gallum, Aldhelmum Anglum: qui omnes carmina rimata fecerunt. Est aliquid etiam rimos Ancurini, Taliesini, Merddhini, aliorum bardorum Vallesiae usque ad saeculum XII. tanta ubertate et arte et varietate esse conformatos, ut non a poësi illius terrae alieni et adventicii accommodatique possint haberi. Quod si rimus proprius est genti celticae in ejusque natura positus, erat etiam apud Britones et proprietate paulo immutata ad montes Pyrenaeos Biscajamque pertinebat; atque ibi poetae hispani istam consonantiam cognovisse putantur, certe conformavisse, quippe quae inculta adhuc et praeter naturam linguae latinae videretur, cujus rei testimonio est ille Augustini hymnus.*

Observandum insuper rimos latinae linguae tantummodo a poëtis christianis in publicum productos idque non prius quam fides christiana firmiter insisteret in Gallia et Insulis Britannicis atque linguae latinae loco, quae tum efferata erat, rustico et popularis adhibenda esset, qua clerici plebeculae animos melius

* „Halten wir das Ungeschick der ältesten lateinischen Reimdichter gegen die Fülle und Manigfaltigkeit des Reims in jenen Bardenliedern, so liegt schon hierin ein Kennzeichen, dass sie ein ungewohntes Kunststück der lateinischen Sprache zumutheten; jener Psalm des Augustinus tönt in seinen weiblichen Reimen mit dem neuern italienischen und spanischen Vollklang entgegen, desto ungefüger und unbedeutender tritt aber der männliche hervor, besonders in den kürzern Versen; denn ihn bildet meistens die lat. Casusendung, die werthlos wie sie ist dadurch dass der Reim auf ihr ruht seine Bedeutung und den Kunstgenius des Reimgedichts geradezu vernichtet und ihm entschieden feindselig ist. Nur erst im Verlaufe einiger Jahrhunderte gelang es den Reim dergestalt der lat. Sprache anzueignen, dass er ihr natürlich erscheint. A. Schulz loco mox laudando.

permoverent. Ad cantilenas ecclesiasticas consonantiam finalem maximam vim habere non est quod probetur. Poësin, de qua dicimus, celticae gallicaeque genti originem debere satis praeterea ostendunt quae Giraldus Cambrensis, mort. circ. an. 1214. de illa scribit Cambriae Descript. c. 11. et ipsum fortasse vocabulum „reim.“ Ille ita: „In cantilenis rhythmicis et dictamine tam subtiles inveniuntur, ut mirae et exquisitae inventionis lingua propria tam verborum quam sententiarum proferant exornationes. Unde et poëtas, quos bardos vocant, ad hoc debutatos in hac natione multos invenies juxta illud poëticum: *Plurima concreti fuderunt carmina bardi.* Prae cunctis autem rhetoricis exornationibus annominatione magis utuntur eaque praecipue specie, quae primas dictionum literas vel sillabas convenientia jungit. Adeo igitur hoc verborum ornatu duae nationes, Angli scilicet et Cambri in omni sermone exquisito utuntur, ut nihil ab his eleganter dictum, nullum nisi rude et agreste censeatur eloquium, si non schematis hujus lima plene fuerit expositum, sicut britannice in hunc modum:*

A glyweistia gant Duinnic
Milur doeth detholedic
Digaun duw da y unic.
A glyweistia gant Aranaut
Milur donyauc ditlaut
Reit with amhwyll p wyll paraut.

anglice vero:

God is together gammet et wise dome.

In Latino quoque haut dissimiliter eloquio eandem exornationem frequens est invenire. — In nullis tamen linguis, quas novimus, haec exornatio adeo ut in prioribus duabus est usitata. Mirum autem, quod gallica lingua alias tam ornata hunc verborum ornatum ab aliis tam usitatum prorsus ignorat. Nec ego tamen id crediderim, quod priores populi duo tam diversi ab

---

* Conf. Turner Vindic. p. 260.

invicem et adversi in hoc verborum ornatu ex arte conveniant. Sed potius ex usu longo, qui quia placuit solum, et facili similium ad similia transitu aures demulcet, per succedentia tempora inolevit." (Cf. San-Marte = A. Schulz, Die Arthursage. Quedlinb. und Leipz. 1842. p. 75—86.)

---

15. Vocabulum „reim" alii derivant a ῥῆμα quod sit „canticum," alii a ῥυθμὸς vel a corrupta et conversa inde voce rigmus, unde priscogallicum rithmour et rimaire i. e. Reimdichter, rithmoyer et rimoier i. e. reimen; Gebauerus (Antholog. Dissert. p. 294—298) a verbo germanico raeumen, reimen, quod sit aptum esse, sich schicken; Wachterus (Gloss. German. p. 1278) et Grimmius (Deutsch. Gramm. II p. 12) originem in ipso vetustissimo sermone teutonico reperiunt; Mone (Bad. Urgesch. II p. 190—193) in celtico rimh, riamh, rhiv i. e. numerus, Zahl.*

---

16. Rimos rhythmis aptissimos esse hacque de causa a vetustissimis Patribus adhibitos in psalmis, hymnis ipsisque

* Ejus verba sunt: Das Wort Lied hat keine teutsche Wurzel, denn es kommt nicht von lauten her, gäl. und irisch heisst es laoidh, laidh, bretton. und französ. lai (cf. nunc W. Wackernagel Deutsch. Lit. § 3. 22. 32); reim ist auch nicht teutsch, mag man es von rhythmus oder rigmus oder rigma ableiten, so ist jedenfalls nöthig, dass nach gallischer Sprachregel in diesen Worten th und g unterdrückt werden, wenn rim entstehen soll. Da wir im Teutschen nur die Form rim haben, so kann sie nicht unmittelbar von rhythmus und rigmus kommen, sondern setzt eine gallische Vermittlung voraus, selbst wenn die Ableitung von rhythmus richtig ist. Vergl. F. Wolf über die Lais p. 8. 155. 161 seq. Aber das Irische zeigt ein mascul. rimh, das Gälische riamh, das Wälsche rhiv, welches Zahl bedeutet und in der ältern Sprache wohl noch m statt mh

prosis jam dudum viri docti docuerunt. *Commodianus* africanus circiter an. 300. fortasse choream ducit Instruct. adversus paganos (cf. Santen ad Terent. Maur. p. 163 seq. Baehr Christl. Dichter § 8): hexametri ex accentu facti unius sillabae consonantiam habent; en aliquot:

---

im Auslant hatte. Dieser Begriff entspricht dem Wesen des teutschen Verses, der Silbenzählung, viel genauer als der Begriff des Rhythmus." Quibus non possum non addere Wackernagelii verba § 29. 30. Das Gedicht Vom jüngsten Tage mag älter als die Herrscherjahre seines Schreibers, König Ludwig, sein, viel älter jedoch schwerlich: neben der Alliteration und statt derselben ist hier auch schon der Reim zu so breiter Geltung gelangt, dass man die Endschaft der einen und den Beginn der andern Dichtungsform deutlich sich berühren sieht. Jedoch eben nur als Dichtungsform hat die Alliteration jetzt ihre Endschaft erreicht, so dass, wo noch ein späteres Gedicht derselben folgt, man dessen Ursprung früher ansetzen muss: sie besteht aber fort in einzelnen Sprichwörtern, in mannigfachen Arten sprichwörtlich überlieferter Ausdrücke und gesucht oder unbewusst als dichterische Lautmalerei (cf. ejusdem § 3. p. 10. 11. § 25. Eiselein Die reimhaften, ankling. und ablautart. Formeln der hochd. Sprache. Bellevue 1841). Der Reim trat im Geleite solcher noch weiter greifenden Aenderungen in die teutsche Dichtkunst ein, dass wenn auch die Sprache schon früher und von selbst Anlage und Neigung zu ihm sollte besessen haben, doch jetzt der volle und plötzliche Entscheid eben so unzweifelhaft von aussen her, als umgekehrt lateinische Dichter der Zeit, wenn sie der Alliteration sich bedienen, dies unzweifelhaft nach dem heimatlichen Vorbilde thun. Wenn aber der Reim auch ursprünglich fremd ist (sein Namen wenigstens ist schwerlich teutsch), so war damit doch an die Stelle der Alliteration nichts ihr Fremdartiges gesetzt: denn er wie sie hat einen nothwendigen Bezug auf die blos accentuirende Messung der Verse, ja er schliesst sich derselben noch näher an, da die Alliteration nur auf die Consonanten, die vor den betonten Vocalen stehen, der Reim aber auf die betonten Vocale selber fällt. Das althocht. und angelsächs. rhim oder rim wäre dem Sinne nach, series, numerus, wohl damit zu vereinigen und so konnte auch das roman. rima (hispan. et ital. rima, anglic. et gall. rime) teutschen Ursprungs sein: dennoch liegt es näher, beide von rhythmus und rhythma herzuleiten, da im Latein des Mittelalters rhythmus und metrum die festen Ausdrücke sind für den Gegensatz zwischen accentuirendem und quantitativem, d. h. zugleich zwischen reimendem und reimlosem Versbau (cf. supra § 10). Aus der

Incolae coelorum, futuri cum deo Christo.
Tenente principium, vidente cuncta de coelo,
Simplicitas, bonitas, habitet in corpore vestro.

item carmina lyrica *Damasi* hispani, mortui 384 (Baehr § 13. Daniel 1. p. 8. 9.); *Ambrosii* patris cantus ecclesiastici, episcopi mediolanensis, mort. 397 (Baehr § 16. Daniel p. 12—115. 280); *Hilarii* pictaviensis, circ. an. 368. mortui (Baehr § 15. Dan. p. 1—7); *Sedulii*, qui circ. an. 430. vixit (Baehr § 26. Dan. p. 147. 148); *Prudentii* (§ 22); *Paulini* aquitani, mort. 431 (§ 25); *Venantii Fortunati*, mort. circ. an. 590 (§ 40. Dan. p. 159—173); *Ennodii* mort. 521 (Baehr Christl. Roem. Theolog. § 183. Dan. p. 150—155); *Isidori* hispalensis, mort. 636 (Dan. p. 183—186); *Aldhelmi*, de quo § 10. *Bedae Venerabilis*, al. *S. Augustinus* Numida, Mediolani ab an. 384. praeceptor rhetoricae, an. 390 in Africam, ubi lingua

latein. Kirchendichtung also sind uns der Reim und der Reimvers nnd die Reimstrophe zugekommen. Et § 25. Die Anfnahme des Reims in die teutsche Poësie und daneben der Untergang der Alliteration ist ein bezeichnendes Hauptereigniss des neunten Jahrh.; sie geschah nnzweifelhaft nach dem Vorbilde der latein. Kirchendichtung. Im achten kommt zwar auch hin und wieder der Reim schon vor; doch darf man darin blos die ersten Anfänge jener spätern volleren Wirkung sehen, herrührend von den geistlichen Schreibern: in dem einzigen Alliterationsgedichte des IX. Jahrh. spielt der inzwischen üblicher gewordene Reim schon mit grösserer Freiheit. Heimischer Ursprung und ein höheres Alter des Reims sind um so mehr zu bezweifeln, als sich die Namengebung der Sage nirgend mit ihm wie mit der Alliteration verbunden zeigt. Et § 31. Das frühste Denkmal dieser nen entstehenden Reimpoësie ist das Evangelienbnch, das von Otfried, einem Mönche des Klosters Weissenburg im Speiergau, gedichtet und König Ludwig dem Tentschen im J. 868 zugeeignet worden. De ea Harmonia cf. et Graesse II, 1. p. 286. 287. et Vilmar Gesch. d. deutschen Nationallit. p. 45. qui: Otfrieds Werk ist das erste und zugleich das massgebende Reimwerk aller folgenden Jahrhnnderte. Eum secutus est Francus incertns an. 881. anctor cantilenae, cui nomen Ludwigsleich (Graesse ib. p. 419. Wackernagel p. 67): quaeque stropha habet quatuor minores versus, quorum duo priores et dno posteriores sibi consonant sive similem verborum exitum habent.

romana praevalebat,* reversus eo consilio psalmum rhythmicum consonis vocibus distinctum effudit, ut in vulgi memoria melius haereret.** En ejus verba in Retract. 1, 20. „Volens etiam causam Donatistarum ad ipsius humillimi vulgi et omnino imperitorum atque idiotarum notitiam pervenire et eorum quantum fieri posset per hos inhaerere memoriae, psalmum qui eis cantaretur per latinas literas feci, sed usque ad V literam; tales enim a b c darios appellant, tres vero ultimas omisi.“ Cujus primi versus sunt:

Abundantia peccatorum solet fratres conturbare;
Propter hoc dominus noster voluit nos praemonere,
Comparans regnum coelorum reticulo misso in mare
Congreganti multos pisces, omne genus hinc et inde;
Quos quum traxissent ad litus, tunc coeperunt separare,
Bonos in vasa miserunt, reliquos malos in mare.
Quisquis recolit Evangelium, recognoscat cum timore.
Videt reticulum ecclesiam, videt hoc secutum mare,
Genus autem mixtum piscis justus est cum peccatore;
Saeculi finis est litus, tunc est tempus separare,
Quando retia ruperunt, multum dilexerunt mare,
Vasa sunt sedes sanctorum, quo non possent pervenire.

Alia ap. Dan. 1 p. 116. 117. Ejus generis est carmen jambicum Fulberti Carnotensium summae quondam auctoritatis praesulis saeculi XI. quod prosa De D. Martino inscribitur et ita incipit (ap. Barth. Advers. 19, 13):

Inter monachalis patres
Vel clericalis ordinis
Virtutis excellentia
Martinus est notabilis.

---

* Plutarch. Mor. T. V. p. 112 Oxon. arbitratus est sua aetate omnes homines sermonem latinum calluisse.

** Simile quid fecit Arius. cf. Philostorg. Hist. eccl. 2; 2 p. 202 ed. Vales. et Duméril Poés. pop. lat. p. 24. not. 1.

Non quilibet de pluribus,
Sed ille solitarius
Primo; dein Turonicae
Praesul paterque patriae.

Et epitaphium Pacifici archidiaconi veronensis, qui florebat 840 (ap. Murator. III p. 837):

Archidiaconus quiescit hic vero Pacificus,
Sapientia praeclarus et forma praefulgida.
Nullus talis est inventus nostris in temporibus,
Quod nec ullum advenire unquam talèm credimus.
Ecclesiarum fundator, renovator optimus
Zenonis, Proculi, Viti, Petri et Laurentii,
Dei quoque genitricis nec non et Gregorii etc.

Addam animi causa initium et finem descriptionis ab incerto circ. an. 790. factae (ap. Murat. II, 2. p. 1095):

Magna et praeclara pollet urbs haec in Italia
In partibus Venetiarum, ut docet Isidorus,
Quae Verona vocitatur olim antiquitus. —
Gloria canamus deo regi invisibili,
Quî talibus adornavit floribus te mysticis,
In quantis et resplendes sicut solis radiis.

et aliquot dodecasillabos sub initium saeculi X. factos (ap. Murat. III p. 709):

O tu qui servas armis ista moenia,
Noli dormire, moneo, sed vigila.
Dum Hector vigil exstitit in Troia,
Non eam cepit fraudulenta Graecia.
Prima quiete dormiente Troia
Laxavit Sinon fallax claustra perfida etc.

Alii ap. Duméril. p. 50. 51. Me non monente intelligetur, unde factum sit, ut carmina rhythmica significent etiam quae similem versuum exitum seu rimos habeant. Intelligitur, ut hoc ad § 15. addam, ex Aldhelmi opere De virginitate, ed. Wharton.

p. 297. ubi dicit: „ut non inconvenienter carmine rhythmico dici queat" hocque exemplum profert:

Christus passus patibulo
Atque laeti latibulo
Virginem virgo virgini
Commendabat tutamini.

atque ex vita S. Theofredi saec. VIII. ap. Mabillon. Act. S. Benedict. III p. 454. ubi legimus: „denique micrologum cudens de lapsu mundi determinat eum sermone rhythmico;" atque e rhythmis a Notkero dictatis ap. Pertz. Monum. Germ. II p. 55 — 58. Audiantur denique Hermanni Contracti versiculi e cod. monacensi ap. Moneum Anzeiger VIII p. 454.

Des, ipsa quem canendo
Queam jugare rhythmo.

P. V. MONACHORUM PERICULA IN HEXAMETRO RIMATO FACTA USQUE AD SAEC. XII. RECENSENTUR.

---

17. Versus hexametros pentametrosque singulos rimis ornatos a Graecis et Romanis non semel usurpatos esse demonstravimus; poëtas vero christianos inde a saeculo octavo vel rhythmos vel metra componentes passim ejusmodi versibus lusisse et tota carmina scripsisse quantum in me est demonstrabo. Primo plerique in una sillaba consonante cum altera concentum rhythmorum vel metrorum collocaverunt, plerique etiam non in fine geminorum versuum, sed in ipso versu, cujus primum membrum subsequenti responderet, hanc aurium oblectationem conquisiverunt; postea vero ita versus contexuerunt, ut, quamquam longa opera confecerunt, in

olausulis tamen versuum perpetuum ordinem ac similiter cadens duarum sillabarum servaverint concinnaque et elegantia carmina elucubraverint, quae adhuc admiratione sunt digna. Undecimo jam saeculo homines ita capiebantur concentu hujusmodi versuum consonantium, ut pauci numerarentur Musis addicti, qui carmina sua hocce ornamento destituta vellent. Cujus consuetudinis testis luculentus est Othlonus monachus santemmeranensis medii saec. XI. cujus haec verba sunt in carmine De Doctrina spirituali (Opera ejus evulgavit Pezius in Thesaur. anecdot. nov. T. II Tomi III):

Porro quod interdum subjungo consona verba,
Quae nunc multorum nimius desiderat usus,
Hoc quoque verborum plus ordine convenienti,
Insuper antiqua de consuetudine feci.

Ordine res narranda est. *Venantius Fortunatus* saec. VI. praefat. carm.:

Nos tibi versiculos, dent barbara carmina leudos.

et 7, 18.

Barbara fraxineis pingatur runa tabellis.
Cortice dicta legi fit mihi dulce tui.

et in elegia p. 301 — 305. ed. Bas. passim hebetato rimo usus ita finit:

Altera de populo vernet ademta tuo.

S. Columbanus abbas, mort. 615. rhythmum De vanitate et miseria vitae mortalis scripsisse dicitur (in Usser. Epist. Hibern. Paris. 1666. 4. p. 4 seq. cf. Baehr Christ. Dicht. § 42), cujus plerique versus in fine similiter cadunt, ut:

Differentibus vitam mors incerta surripit,
Omnes superbos, vagos moeror mortis corripit.

Erganbaldus abbas S. Trudberti in Brisgovia nostra circiter an. 700. scripsit vitam S. Trudberti (editam a Pezio in Epist. ad P. Marcum Hanzizium. Viennae 1731. 4. et in Act. Sanct. T. III p. 427. 440): in ea concentus auditur, de quo dicimus,

ut in *Bedae Venerabilis,* mort. 735. versibus De computus regulis; en priores:

Adventum domini non est celebrare Decembri
Post ternas Nonas neque quintas ante Calendas.

Refert Baronius in Annalibus ad an. 808. versus incolumes adhuc Romae asservatos in templo Cruciferorum, quod Belisarius Justiniano I condidisse fertur:

Hanc vir patricius Vilisarius urbis amicus
Ob culpae veniam condidit ecclesiam.
Hanc idcirco pedem sacram qui ponis in aedem,
Ut miseretur eum saepe precare deum.

Epitaphium item profertur Lantfridi abbatis burensis in Bajoaria, qui circ. an 790. mortuus est:

En Lantfrid domnus primis natalibus ortus
Debita solvit humo, quae sibi debet homo.
Aetatis flore sponsì currens in odore,
Pluribus exemplum praebuit ipse bonum etc.

Airadi monachi versus, quos circiter idem tempus portae aereae basilicae parisiensis sandionysianae inscripsit:

Hoc opus Airadus coelesti munere fretus
Offert ecce tibi, Dionysi, pectore miti.

Epitaphium Ludovici Pii Augusti mort. 840. in urbe metensi:

Imperii fulmen, Francorum nobile culmen,
Exitus e saeculo conditur hoc tumulo,
Rex Ludovicus, pietatis tantus amicus,
Quod pius a populo dicitur et titulo etc.

cf. Hist. liter. de la France T. IV. p. 587. Inscriptio aedis sacrae S. Mariae Romae circ. an. 860. conditae:

Arbor sacra crucis fit mundo semita lucis;
Quam qui portavit, nos Christus ad astra levavit.

Mabillonius in Annal. Benedictinis ad an. 827. versus in vetustissimo codice altivillarensi circiter ea tempora scriptos edidit, hujus generis:

Ebo, remense decus, praesul pastorque coruscus,
Doctor evangelicus, praecelsi regis amicus,
Hunc in amore dei Petrique in honore beati
Librum jussit agi plenus spiraminis alti.

In musivo pavimenti aedis brephotrophii mediolan. a Datheo archipresbytero an. 787. facto hi versus leguntur:

Sancte memento deus, quia condidit iste Datheus
Hanc aulam miseris auxilio pueris.

et basilicae ambrosianae mediolan. circ. an. 835. compositi:

Martinus moritur, sed vitae dona meretur.
Tristatur mundus adjubilatque polus.
Mors sua digna bono fertur celebrata patrono,
Spiritus Ambrosii dum famulatur ibi.

Haldoinus abbas monasterii altivillarensis an. 852. scripsit versus ad tumulum S. Remigii (in Mabillon. Analect. Veter. T. 1. p. 423), quorum initium:

Doctor Francorum primus pastorque Remorum.

Milonis elnonensis monachi (cf. § 10) versus pari concentu confectos an. 855. refert Mabillonius ad an. 872.

Ratperti turicensis monachi S. Galli circ. an. 870. carmen in laudem S. Galli est ap. Grimm. praef. ad Poëm. lat. p. XXXI seq. Carmen *Salomonis* episcopi constantiensis, qui an. 895. florebat, incipit:

Eximie antistes, has accipe, Dado, salutes
Conscriptas tristi a Salomone tibi.

Ejusdem saeculi videtur *Theodulus* presbyter, natione Italus, auctor Eclogae, carminis paraenetici didactici (cf. Baehr Literat. d. Karoling. § 52), quod nuper edidit Beck. Marburg. 1836. 8; cum editione Kaeneri Lugduni 1538. typis excussa exiit *Faceti* cujusdam liber moralis rimato versu compositus, qui alio nomine dicitur *Floretus*, in quo flores omnium virtutum et detestationes vitiorum metrice continentur (Graesse II,

3. p. 823). — Epitaphium Notkeri Balbuli coenobitae S. Galli, mort. 912:

Ecce decus patriae Notkerus, dogma sophiae,
Ut mortalis homo conditur hoc tumulo.
Idibus octonis hic carne solutus Aprilis
Coelis invehitur, carmine suscipitur.

Inscriptio posita Emmae Francorum reginae an. 954. incipit:

Sanguine caesareo jacet hic excelsa propago
Francorum populo prodita de Carolo.

Epitaphium Ottonis I imperatoris sepulti Magdeburgi 973:

Tres luctus causae sunt hoc sub marmore clausae:
Rex, decus ecclesiae, summus honor patriae.

Erkanbaldus ab an. 965 — 991. episcopus argentin.; *Eckehardus* in carminė De S. Otmaro, quod rhythmis a Notkero dictatis constat (in Pertzii Monum. Germ. II p. 55 — 58. cf. et Grimmii praef. p. XXV.). En quinque priores:

Canto dolis nectum bithalasso cespite tectum.
Cruda viri denos sancti caro durat in annos.
Sic decuit justum, sic corpore menteque castum.
Grex monachûm Gallo cum plebe triumphat in illo.

Auctor Ruodliebii, editus a Grimmio p. 129 — 198. et *Ecbaseos* ib. p. 243 — 285. *Froumunt* monachus coenobii tigurini (Monei Anzeig. V. p. 442. 443. Grimm p. 225); *Godfridus Remensis* (Fabric. Bibl. lat. med. T. III p. 68. ed. Patav.): *Macer Floridus* De virtutibus herbarum una cum Walafridi Strabonis etc. carminibus ed. Lud. Choulant. Lips. 1832. 8. (cf. vers. 106. 156. 193. 195. 225. 226); *Frodoardus remensis* in carmine De vita S. Columbani. *Hrosuith* seu Hroswitha e gente saxonica, socia coenobii gandershemiensis, mort. 996. (cf. Graesse II, 1. p. 360. 387. ejus carmen De primordiis coenobii gandersh. ap. Pertz. Monum. Germ. VI. p. 306 — 317. De gestis Oddonis I Imperat. ib. p. 317 — 335); gratis addo Roswidae epitaphii particulam:

Debita pars terrae fallentia tempora sperne
Et memorare viae quam testatur cinis iste.
Gentis honor nostrae jacet hic, gentis dolor atque.
Praefuit huic urbi, cuncto sed profuit orbi.

Annales Sangallenses ad an. 971. 973. 1066. ap. Pertz. 1 p. 79 seq. 106; *Poëta Saxo* circ. 900 (cf. Graesse II, 1. p. 360) De gestis Caroli M. ib. p. 227 — 279: omnes istis versibus passim usi sunt. Addantur: *Gudini* cujusdam circ. an. 1000. planctus rhythmicus in obitum Constantii Sophistae monachi luxoviensis, in Mabill. Annal. T. III. *Thietmar* merseburg. mort. 1018. prolog:

Adscribatur mihi, si quod in hoc variatur
Libro vel desit, testis cum parvulus adsit.

In *tabulis* anni 1054. ap. Schaten. 1. p. 543. in Trinitatem hi sunt versus:

In deitate patris proli sit honor generalis,
In nutu nati decus vel sapientia patri,
In vi paraclisis virtus sit utriusque perhennis.

Petrus Damianus cardinalis ostiensis, mort. 1072. id sibi epitaphium fecit:

Quod nunc es fuimus, es quod sumus ipse futurus.
His sit nulla fides, quae peritura vides.
Frivola sinceris praecurrunt omnia veris,
Succedunt brevibus saecula temporibus.
Vive memor mortis, quo semper vivere possis;
Quidquid adest transit, quod manet ecce venit.
Quam bene providit, qui te, male munde, reliquit,
Mente prius carne quam tibi carne mori.
Coelica terrenis praefer mansura caducis,
Mens repetat proprium libera principium.
Spiritus alta petat, quo prodit fonte recurrat,
Sub se despiciat quidquid in ima gravat.
Sis memor oro mei, cineres pius adspice Petri,
Cum prece, cum gemitu dic: sibi parce deus.

Joannes Garlandius, qui floruit an. 1040. in libro De orthographia (Leyser Hist. poët. med. aevi p. 340):

Si quis in ecclesia legis usquam verbula diva,
Ut vites vitia, sis doctus in orthographia.
Inspice, si prosum, me ne fac invidiosum
Invidiae mete. Nec laudem quaero poëtae,
Quamvis sit rarus, ne sit mihi sensus avarus;
Non sic detenta mihi tradita quinque talenta.
In te spes, Christe, mea figitur, ut liber iste
Per te completus sit, te fulsimine fretus,
Cum sit scripturae fons omnis litera jure.

Willeramus Francus, ex ordine S. Benedicti, conscripsit an. 1070. mysticam explicationem in cantica canticorum (cf. Graesse II, 1. p. 289). *Anselmus Badagius* mantuanus, ex eodem ordine, episcopus ab an. 1071 — 1086. scripsisse fertur Meditationes de gestis domini nostri Jesu Christi, recus. in Bibl. Patr. Lugdun. T. XXVII. p. 444. Tumulo Beatricis ducissae an. 1076. vita functae Pisis hoc epitaphium factum:

Quamvis peccatrix sum donna vocata Beatrix
In tumulo missa jaceo quae comitissa.

Ita carmen in Ivonem dionysianum abbatem an. 1094. interfectum edidit Mabillonius, e quo haec:

Qui nondum norat, sub quale caribde laborat,
Occultans illa fiat damnata favilla
Et ceu scintillae stipularum corruat ille.

Pariter in ejus epitaphio:

Ivo gravis sorte, crudeliter obrute morte,
Quem tegit haec petra, felix habearis in aethra.

Guilielmi Apuli circ. 1090. extremus liber V. De Normannis ap. Murat. Rer. It. V. p. 245 seq. *Godofredi Malaterrae,* qui eodem tempore Historiam siculam scripsit (ap. Mur. T. V. p. 539 seq. cf. Graesse II, 3. p. 1222) L. III. c. 23. hos paucos audi:

Nec minus hoc culpo, quamvis hic talia sculpo,
Nec prohibens vito, cum fiat juncta marito,

Diligat et juste foedus servando venuste;
Nam quos lex jungit, sententia nulla repungit.

Wipponis sacellani Henrici III. e medio saec. XI. praeter panegyricum ad Henricum (in Canis. Lectt. Ant. T. III P. 1. p. 161 seq.) exstant *proverbia* ad Henricum Conradi Imp. filium (in Fabric. P. 1. p. 447—450. cf. VI. p. 326 seq. Histoire lit. de la France T. VII p. 443 seq. Mone Anzeig. IV. p. 363). En aliquot: Decet regem discere legem. Audiat rex quod praecipit lex. Legem servare hoc est regnare. Notitia literarum lux est animarum. Saepius offendit qui lumen non attendit. Regnum coelorum non est invidorum. Humilis homo triumphat in domo. Ubi frequens luxuria, non deerit penuria. Beati pedes, qui visitant infirmorum aedes. — Vetusta item proverbia ap. Moneum VII. p. 504—507. e. g.

Plus valet in manibus passer quam sub dubio grus.
Ovo nutritus vix fiet dando peritus.
Ollula tam fertur ad aquam, quod fractus refertur.
Arbor per primum nequaquam corruit ictum.
Femina raro bona, sed quae bona digna corona.
Quem cum matre videt nutritum curia ridet.

cf. ibid. VI p. 485. versus e cod. monasterii weissenaviensis saec. XII; fabulae ib. p. 105 — 107. 111. aenigmata saec. VIII. ib. VIII p. 219 — 228. et conf. Wackernag. Lit. § 35. p. 74. Vetusti item *versus,* quibus usae non paucae urbes in suis *sigillis* (cf. Mone VIII. p. 259 — 263); vetustissimus, quo plures ex Imperatoribus germanicis, ut Conradus I:

Roma caput mundi regit orbis frena rotundi.

Aquileja, quae aquilam inter muros et turres habet:

Urbs hec Aquilegie capud est Italie.

Asisium in sigillo habet:

O Francisce pie nato nos redde Marie.

Astensis civitas:

Aste nitet mundo sancto custode Secundo.

Brescia seu Brixia:

Brixia sum mitis, constans deus est mihi basis.

Collis quae crucem habet:

Hoc populi signum collensis noscite dignum.

Cortona quae leonem S. Marci habet:

Sis tutor Cortone sis semper, Marce patrone.

Fanum quae leonem:

In Fani portis custos est hic leo fortis.

Ferraria quae S. Georgium cum dracone:

Ferrariam cordi teneas, o sancte Georgi.

Firmum:

Hostes firmana domat urbs facta aspera plana.

Florentia quae Herculem cum clava habet:

Herculea clava domat Florentia prava.

---

18. *Marbodus* porro andegavensis, episcopus ab an. 1096 — 1123. praeter alia (cf. Graesse II, 1. p. 364. 365.) carmen scripsit De gemmis, in quo vers. 7. 23. 32. 46. 49. 54 etc. habent rimum masculinum; 93. 123. 247. 419. 421. femininum. Is primus Catonis sententias versibus quos dicunt leoninos effinxit (cf. Opp. col. 1634. Endlicher catal. codd. philol. Vindobon. 1. p. 173).* *Franco* abbas secundus affligheimensis in Brabantia ab an. 1109 — 1130. praeter librum De gratia dei

* Recentior est labor nonnisi rimis leonin. femin. in cod. lint. saec. XII. cf. Hoffmann Fundgrub. II p. 105; recentissimus poëtae Martini saec. XIII vel XIV. in cod. monacens. num. 4652. qui eodem metro Fabulas Avieni continet. cf. Docen in Arnim. Beitraeg. z. Gesch. d. Lit. IX p. 1235 seqq. Hujus codicis Sententias Catonis sibi transscripsit vir nobilis et purpuratus, amicus Principis de Fürstenberg., qui idem vir doctissimus operam et studium collocavit in Trapezuntis nnmis, quibns nomen Ἄσπρα κομνήνατα, Paris, chez M. Rollin 1847. 4. et in numis ducum Alemaniae. Carlsr. 1845. 8. Ex Ejus singulari in me benevolentia et humanitate pri-

scripsit carmen elegiacum De statu futurae gloriae, recus. in Fabric. Bibl. II p. 200 — 202. Vide etiam *Donizonem*, qui an. 1115. carmen contexuit De vita comitissae Mathildis, in Murat. T. V. p. 389 seq. Mabillon. Act. Sanctor. II p. 459 seq. et *Anonymum*, qui circ. an. 1127. carmen struxit De excidio urbis comensis; et *Radulphum* cadomensem, mort. circ. an. 1115. cui gesta Tancredi principis Normannorum debemus metro ac prosa conscripta (Graesse II, 3. p. 1059); et *Godefridum* viterbiensem, secretarium Henrici VI. cujus Pantheon seu Libri universitatis exstant in Pistorii Script. Germ. T. II. et Struvii Syllog. Pistor. Ratisbon. 1726. fol.; et *Bernardi* benedictini circ. 1140. libros tres De contemtu mundi (Graesse p. 822) et *Nic. Maniacutii* Catalogum rom. pontificum, circ. 1180 (Graesse p. 824) et *Joannis de Botonia* carmen inprimis elegans De bello trojano (ap. Barth. Adv. 31, 7) et *Bernardi* morlanensis carmina, quae edidit Lubinus. Rostoch. 1610. 8. cf. Dumér. p. 180. not.) et *Abaelardi* ap. Duméril. p. 428. 429. 448; denique *Scholam Salernitanam* seu Regimen sanitatis, cujus auctor dicitur Joannes mediolanus, medicus clarissimus illiusque alumnus circ. an. 1100. Eam edidit Ackermann. Stendal 1790. 8.*

Ut ad finem veniam, excitentur quidam poëtae, qui geminis

---

mos et ultimos versiculos cum harum rerum lectoribus curiosis communicare possum:

Lingua paterna sonat quod ei sapientia donat.
Exaudi, fili, mentisque repone cubili.
Principio cultum domini tu dilige multum,
Qua bene cultura frugitur mens crimine pura. —
Hoc quicunque legit Martini musa peregit;
Si cui deliquit, vitium sanare reliquit.

* Missam putant Roberto Principi filio Guillielmi I Angli ac regis Hierosolymis captis suos lares repetenti. Verum quum plane is liber ad Angliae regem missus in fronte dicatur, eorum conjecturao accedendum potius videtur, qui Eduardo Angliae regi ante annum 1066 opus hoc a Salernitanis destinatum opinantur. A vero minime abhorret regem illum exquisisse consilia a medicis iis De conservanda valetudine; celebris enim

sillabis, rarius tribus, longis usi sunt, quae sono aequali sibi responderent in fine duorum vel plurium versuum. *Moyses* bergomensis magister, qui circ. an. 1120 scribebat, carmen De laudibus Bergomi (in Murat. Reb. It. V. p. 529) sic incipit:

Alme deus rector, qui mundi frena gubernas,
Nec sinis absque modo sedes fluitare supernas.

Eodem pede procedunt reliqui versus. Alberti abbatis misiacensis, mortui an. 1036. epitaphium in Mabillon. Annal. Benedict. hoc est:

Hic jacet Albertus quondam regalia spernens,
Prudens atque pius, tantum coelestia cernens,
Mundi divitias cum regali ditione
Gemetica primas sprevit pro religione etc.

In carminibus De morte Mathildis abbatissae condomensis an. 1012. compositis et a Mabillonio T. V. Annal. Benedict. evulgatis idem concentus occurrit:

Si lacrimae cuiquam coelestia regna pararent,
Defunctum quemquam si carmina nostra juvarent etc.

Baldrici andecavensis abbatis, qui florebat 1090. item; en bini versus epigr. 1.

In rotulo multi cum sollicitudine quadam
Dicendi seriem semper metantur ab Adam.

Exordium vitae S. Anscharii a *Gualone* monacho corbejensi (Fabric. III p. 109. Wright Biogr. britann. literar. Period.

---

erat fama scholae illius longe ante institutae, ita ut vel ab exteris regionibus eo confluerent vel eruditionis acquirendae vel valetudinis recuperandae causa praestantes nobilitate viri. Salernum fontem physicae appellavit Aegidius corboliensis, qui circ. an. 1180. floruit; ejus versiculus in libro De virtutibus medicamentor. hic est: „Fons physicae, pugil eucrasiae, cultrix medicinae.“ Ad illum libellum dulcissimum effictus et expressus est alter, qui inscribitur: Regimen sanitatis parvum per singulos menses, ed. cum Alberti Mag. libro aggregat. Antverp. s. a. 4. Argentor. 1490. 4. Cum interpretat. germanica: Regimen Sanitatis d. i. wie man sich halten soll mit essen und auch mit trinken un sagt von aderlassen. Mogunt. 1509. 4. Nürnberg. 1519. 4 min. cf. Graesse II, 2. p. 561. 562. et Chronicon salernit. ap. Pertz. Mon. Germ. V. p. 467 — 561.

anglonormann. p. 314. coll. Duméril. p. 160. not. qui: ce Gualo aurait vécu en 1160 ou 1170.) conscriptae:

Dulce tuis, Alberte, decus, jubar ignivaporum,
Ecclesiae turris, regni diadema decorum,
Gloria pontificum, regum venerabile numen,
Quod tibi mater init Corbeïa, sume volumen.

En primi quoque versus epitaphii B. Lanfranci archiepiscopi cantuariensis a *S. Anselmo* itidem archiepiscopo circ. an. 1089. compositi:

Archiepiscopi non divitias nec honores
Lanfrancus subiit sed curas atque labores.
Natus in Italia papiensi de regione
Civibus egregiis et honesta conditione.

Longe ante haec tempora compositi videntur duo versus qui Capuae leguntur:

Hoc prius antistes, cleri dux, Otto paravit,
Ecclesiae pater, res, mores amplificavit.

Mabillonius testatur in theca argento contecta, ubi collocatae videntur an. 946. reliquiae S. Hidulfi episcopi, hos versus legi:

Quorum munere sum tali vestitus honore,
Digni reddantur divino semper amore.

In fine Chronici centulensis ap. Dacherium in Spicilegio Hariulfus ejus historiae auctor an. 1088. carmen subjunxit, cujus primos tantummodo versus habeas:

Toto corde meo te, Centula mater, amavi:
Traditus a puero, mea sub te colla ligavi.

Hildebertus mort. 1136. ap. Duméril. p. 9. 10. e. g.

Moesta parens miserae paupertas anxietatis
Afflictis satis est dura superque satis.

Carmen in Almeriam an. 1147. captam ap. eund. p. 290.

Ipse Rodericus Mio Cid semper vocatus,
De quo cantatur quod ab hostibus haut superatus,
Qui domuit Mauros, Comites domuit quoque nostros.

19. **Versus hexametros praecipue pentametrosque, in quibus** similiter cadens occurrit, *leoninos* appellari pueruli nostri jam sciunt, sed rationem nominis cum praeceptoribus ignorant. Monachus quidam non admodum harum rerum imperitus in codice vindobon. saec. XV. (apud Moneum Anzeig. VII. p. 536) ita nos docet: „Versus in medio et fine consonantias habentes dicuntur leonini a leone, quia sicut leo inter alias feras majus habet dominium, ita haec species versuum; vel dicuntur leonini quasi leni a leniendo, quia leniunt magis animum auditoris quam alii; vel sic appellantur ab inventore, quia Leo vocabatur, qui hos versus invenit." Alii quoque originem repetunt a leone quadrupedum principe, ut dicant, quemadmodum inter bruta reliqua leones ita istos inter ceteras carminum species eminere et quidquid sine illis scribatur ineptum putandum. cf. Elias Majus in Comment. De versibus leoninis, recusa in Gebaueri Dissertt. Antholog. p. 319. Eberhardus bethuniensis, Graecista seu Graecus saeculi XIII. grammaticus (cf. Graesse II, 3. p. 657) eos versus a Leone quodam nuncupatos arbitratur; ejus verba in parte tertia Labyrinthi, quae est de versificatione, sunt vers. 113:

Sunt inventoris de nomine dicta Leonis
  Carmina quae tali sunt modulanda modo:
Pestis avaritiae durumque nefas simoniae
  Regnat in ecclesia liberiore via.
Permutant mores homines, cum dantur honores,
  Corde stat inflato pauper honore dato.

Qua vero aetate is Leo vixerit quisve fuerit non satis constat. Heumannus in Primitiis Academ. p. 264. Leonem quendam poëtam excellentem saeculi V. auctorem nominis arbitratur, qui poëta Sidonio Apollinari Ep. 9, 13. dicitur „rex castalii chori;" postea vero in Conspectu Reipubl. liter. 5, 15. Leoni IV. saeculi IX. papae appellationis ejus originem rectius assignari putavit. Cui conjecturae calculum suum adjicere non vult J. J. Oberlinus in Miscell. Literar. Argent. 1770. p. 37. cf. Roquefort

De l'état de la poésie franç. dans le XII. et XIII. siècles. Paris 1821. p. 17. Renatus Moreau medicus parisiensis in Dissert. praefixa Prolegomenis in Scholam Salernitanam, Ducangius in Gloss. latino, Stephanus Paschasius in Disquis. Franc. 7, 2. Joh. Ciampini Monum. Veter. in quibus opera musiva 1, 3. p. 28, Sixtus Senensis Bibl. S. III p. 224. Papebrochius in Actis Sanct. 1 p. 23, Menagius in Menag. II p. 214, Tenzelius Colloq. menstr. an. 1691. p. 20 seq., vir doctus in Act. Eruditor. an. 1709. p. 510, Leyserus Hist. poët. med. aevi p. 763, Morhofius De lingua germana 3, 9, Fabricius Bibl. Lat. II p. 775 = T. IV. p. 263, Scipio Maffei Histor. Diplom. p. 190 seq. alii inventorem referunt Leonium seu Leoninum seu Leonem,* poëtam gallum, benedictinae familiae, canonicum ad S. Victorem Paris., qui medio saeculo XII. vixit quemque Aegidius parisiensis apud Du-Chesnium T. V. Scriptor. Franc. p. 323. inter alios poëtas sui temporis hoc est ab an. 1191—1198. commemorat:

Nec minus in sacris melico sermone Leonem
Ludentem historiis.

Verum quonam justo titulo in Leonem istum transferenda sit hujus inventi vel perfectionis gloria equidem cum Muratorio Antiqq. Ital. T. III p. 663—702. non video, quum tot alii occurrant, qui ante eum metra vel rhythmos pari condiderunt artificio. Ne ea opinione Benedictinum privemus, non tam invenisse videtur versus leoninos quam frequentasse et variasse non sine laude, quali modo Naevius inventor versus saturnii dictus est (cf. Klotzii Lat. Literat. 1 p. 258. nos supra p. 11).

---

* Is auctor est Historiae veteris et novi testamenti et psalterii, quae poëmata nondum edita videntur. cf. Quetif. De Script. Dominic. 1. p. 575 seq. Histoire lit. de la France T. XIII. p. 434 seq.

P. VI. DE RHYTHMORUM ET RIMORUM GENERIBUS.

1. HEXAMETRI.

20. Hexameter, quocum etiam pentameter sua caesura ad rimum factus, recentior tamen saeculi XII et XIII plerumque sine eo, conjungi potest (Grimm praef. p. XXIX), inprimis in quo consonantia includeretur delectus est; quam variam esse supra jam demonstratum est et his paucis absolvendum censeo. Simulac in eo versu caesuar principalis variat, rimus se a loco movet (Grimm p. XXVII. XXVIII). Rarius fit, ut in arsi quarti pedis, in hepthimim., locum habeat, qualis est iste:

Seu bello seu ven*atú* seu quolibet *actu.*
Hinc rex Guntharius *coeptúm* meditatur in*eptum.*

vel secundi pedis, ut in isto:

Laus dom*inó* qui me salvarat dente lu*pino.*

vel ita ut rimo trium sillabarum versus in aequales partes dividatur, e. g:

Me circumvol*itábánt,* dente sed asper*itábdnt.*
Totus conticu*ít grèx* atque crucis sil*uít lèx.*
Dulcis amica v*enires,* si mea vulnera *scires,*
Dulcis amica r*epente* gaudeo te v*eniente.*

Nec minus displicent versus, quibus haec collocatio rimi est:

Vivit hones*tate* princeps utendo Joannes,
A puber*tate* praefulget fama Joannis.

Quando rimus in arsin quarti pedis retorsus est, arsin secundi alius capere potest, ut tres voces uno in versu sibi consonent isque in formam redigatur hujus theocritei 20, 6. *οἷα βλέπεις, ὁπποῖα λαλεῖς, ὡς ἄγρια παίσδεις* et virgiliani Aen. 12, 13. „congredior, fer sacra pater, et concipe foedus, e. g.

Luden*dum* magis est domi*num* quam sit rogitan*dum.*
Et verbum profert plenum ceu pollinis ovum.

Poeniteat vel eum rogitat mala quae faciebat.
Poma vehat, miranda canat, sed amigdala ponat.

Minus bene excellit et auditur primus rimus, quando vel in thesi primi pedis est, ut:

Tam citò se sociare torò nec jungere disco.

vel in thesibus secundi et quarti:

Condolui *tibi*, non parcens *mihi*, congrua *vexi*.

Eo modo comparent versus triplici rimo ornati, quibus multi sunt usi, in his Bernardus quidam monachus saeculi XII. qui libros tres De contemtu mundi hujus generis versibus fecit. En aliquot:

Crimina crescere flete, tepescere jus, decus, aequum,
Flete, gemiscite, denique dicite, dicite mecum:
Qui regis omnia, pelle tot impia, surge, perimus.
Nos, deus, adspice, ne sine simplice lumine simus.
Respice, respice nos patris unice virgine nate,
Da mala plangere, da bona sumere, da tua, da te.
Aurea tempora primaque robora redde, rogamus,
Nos modo dirige, post modo collige, ne pereamus.

et Theodulus in libro qui est De contemtu mundi, e. g.

Qui bona negligit et mala diligit, intra abyssum
Nulla pecunia, nulla potentia liberat ipsum.
Irremeabilis, insatiabilis illa vorago,
Hic ubi mergitur, horrida cernitur omnis imago.
Haec cruciamina per sua crimina promeruere.
Vir miserabilis Evaque flebilis haec subiere;
Jussa dei pia, jussa salubria si tenuissent,
Vir neque femina nec sua semina morte perissent.

et auctor hujus carminis saeculi XIII in Pertzii Archiv. X. p. 612.

Fertilis Austria, regna geris tria, marchio, dux, rex.
Sunt ea copia commoda plurima, sanctior hora,
Suscitat, advocat, edocet, attrahit ad meliora

Imperialia munera talia conveniendo.
Austria suscipe, dilige vivere pace fruendo,
Hoc duce principe terra vales bene robore forti,
Ense suo, fugias latro, te cito subtrahe morti.
Fortis in adversis Otaherus alter ut Hector
Hostes prosternit, dat opem coeli tibi rector,
Laude calescit, corpore crescit viribus ille.
Sint rationi conditioni gaudia mille.
Princeps australis cleri pater est generalis,
Est formido malis vultus suus imperialis,
Pace reformata manet Austria tota beata.
Plebs tibi mansura plures res est habitura
Hujus in augmento fidei; ducis ipse memento,
Quisquis ad altare cupiens missam celebrare.

et carminis in Daniel. Thes. hymnol. II. p. 380. et Duméril. p. 127. Hi vero versus juxta Christi cruci affixi imaginem in monasterio quondam Cumlbitzeni legebantur:

Aeneus hic coluber, cruce luguber, ipse suluber
Atque cruore ruber, vitae faber, omnibus uber,
Omne fugans tuber et culpae vexile suber,
Hunc puer, hunc puber nunc fugat canus et uber.

Frequentior *rimus cadit in arsin tertii pedis*, in pentemim. et semel fit singulis versibus. Ei versui amicus est pentameter:

Qui differt poenás, peccandi laxat habenas. —
Haurit aquas cribro, qui discere vult sine libro. —
Quidquid crescit humi, vanescit imagine fumi,
  Ut pelago navis, quae volat instar avis. —
Tempore felici multi numerantur amici;
  Cum fortuna perit, nullus amicus erit. —
Hic jacet Hilbrandus stygia fornace cremandus,
Cujus in hac fossa foetent enormiter ossa.

E Carminib. Buranis p. 23 (saeculi XII vel XIII.):

Roma tenes morem nondum satiata priorem
Donans donanti, partem dans participanti,

Sed miser immunis censetur, eum quia punis.
Accipe, sume, cape tria sunt gratissima papae;
Nil do, nil praesto nequeunt succurrere maesto.
Si dederis marcas et eis impleveris arcas,
Culpa solveris quacunque ligatus haberis.
Non igitur nosco, quamvis cognoscere posco,
In quo papalis res distet et imperialis.
Rex facit audenter, dominus sed papa latenter;
Rex capit argentum, marcarum millia centum,
Efficit hoc idem paparum curia pridem.
Ergo pari poena capientes sic aliena
Condemnabuntur, quod Simonis acta sequuntur.
Curia romana non quaerit ovem sine lana.
Roma manus rodit, si rodere non valet, odit.

Artificiosa ratione rimus variat, quod ex his apparebit:

O Fortuna levis, cuivis das omnia quaevis
Et cuivis quaevis auferet hora brevis.
Dat Fortuna bonum, sed non durabile donum,
Extollens pronum facit et de rege colonum. —
Pergama flere volo Graecis fato data solo,
Solo capta dolo, capta redacta solo.
Miles ad arma fremit, vitae fors Hectora demit,
Troiam pugna premit, Troia sub hoste tremit.

ejus generis septuaginta versus in Carmin. Buran. p. 60 — 64.
Laus Virgilii in Antholog. Meyer. 855.

Alter Homerus ero, vel eodem major Homero,
Tot clades numero, scribere si potero. —
Omnis amor coecus, non est amor arbiter aequus,
Nam deforme pecus judicat esse decus. —
Qui capit uxorem, capit absque quiete laborem,
Longum languorem, lacrimas, cum lite dolorem. —
Funde vinum, funde, tanquam sint fluminis undae,
Nec quaeras unde, sed fundas semper abunde. —

Epithaphium Alberti Magni, mortui 1280. Colon. Agripp. sepult.

Phoenix doctorum, Paris expers, philosophorum
Princeps doctorum, vas fundens dogma sacrorum,
Hic jacet Albertus praeclarus, in orbe disertus,
Prae cunctis certus assertor in arte repertus,
Major Platone et vix inferior Salomone;
Quem tu, Christe bone, sanctorum junge coronae.
Annis bis denis minus actis mille trecenis,
Quinta post festum Martini luce molestum.
Omne petendo deum transivit agens jubilaeum.
Qui legit hos versus mox ad tumulum retroversus
Inclinans dicat collectam illam: requiescat.

In doctorem Alexandrum alensem, mort. 1245.

Gloria doctorum, decus et flos philosophorum,
Auctor scriptorum vir Alexander variorum,
Norma modernorum, fons veri, lux aliorum,
Inclytus Anglorum archilevita, sed horum
Spretor cunctorum, frater collega Minorum,
Factus egenorum, fit primus doctor eorum. —

Rimos concatenatos et hos dicunt: In Ulricum VI. abbatem S. Gallensem:

Invida petra nimis cur tantum claudis honorem,
Aequiparem minimis nec summis inferiorem? —

In campanam:

Virginis ad culmen factum sum vas et obedit
Omne mihi fulmen, quod me clangente recedit. —
Quando conveniunt Catharina, Rosina, Sibylla,
Garrire incipiunt et ab hoc et ab hac et ab illa. —
Criminibus mersos toto conamine vites,
A vitiis tersos cordis amore cites. —
Difficiles studeo partes, quas biblia gestat,
Pandere sed nequeo, latebras nisi qui manifestat,

Auxiliante deo, qui cui vult singula praestat,
Dante juvamen eo nihil insuperabile restat.

In formam decussis obliquae hi rimi sunt facti: In campanam:

Vas ego sum *fusum* genitricis propter ho*nores*
Et do clan*gores* ad culmen ei vel ad *usum*.
Est domini donum puri devotio cordis,
Contemtus sordis initiale bonum. —
Hoc moneo, ne fas fore credas optima rerum,
Ut carpas verum prodigiale nefas. —

Bini versus eundem rimum quater admittunt ut:

Caedis in hor*rore* stant arva cru*ore*
Herbaque cum *flore* rubeo stat mixta co*lore*.
Sanguinis hic fluctus emanat aquae quasi ductus,
Hic dolor, hic luctus, hic sunt suspiria ructus
Vicinae mortis; campi sparguntur in hortis
Funera distortis collis. Sic vult rota sortis.

Ultima pars secundi versus est eadem quae prima primi, qui versus a scholastico quodam saeculi XV (in cod. vindobon. indeque in Monei Anzeiger VII. p. 586 seq.) dicitur periacterius quasi repercussivus, a voce *περίακτος*, e. g.

Dulcis amica veni, noctis solatia praebe,
Ne subito moriar, dulcis amica veni.

Versus caudati dicuntur, quorum fines eadem consonantia clauduntur, ut:

Instrumenta solent aures lenire sonora,
Mens hominis stulti fallitur absque mora. —
Qui nimis emungit, solet extorquere cruorem,
Et violenta facit correctio deteriorem;
Sed moderata satis correctio gignit amorem. —
Ut mens se videat posita caligine fumi,
Quis vetat apposito lumen de lumine sumi?

Quod si perfecte nequeo res edere cunctas,
Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. —

Gualonis Cambri Britanni, circ. an. 1170. carmen in monachos:

Sacrilegis monachis emtoribus ecclesiarum
Composui satiram, carmen per secula clarum;
Quam quia vir magnus corroborat Hugo Diensis,
Noster amicus eam legat Otto Suessionensis.
Ordo monasticus ecclesiasticus esse solebat,
Pura cibaria dum per agrestia rura colebat,
Nulla pecunia, nulla negotia praepediebant,
Sobria copia, parva colonia sufficiebant,
Pro venialibus et capitalibus invigilabant,
Tam venialia quam capitalia nostra piabant.
Sed miserabilis et lacrimabilis est sibi factus,
Post venialia, sub capitalia damna redactus.
Ordo monasticus ecclesiasticus est violenter,
Ecclesiastica comparat omnia dona patenter;
Ordo monasticus ecclesiasticus est sine sensu,
Aestimat omnia spiritualia divite censu.
Ordo monasticus ecclesiasticus est sine causa,
Clamat ad ostia spiritualia jam sibi clausa.
Ordo manasticus ecclesiasticus est sine fructu,
Intrat ovilia, desuper ostia non sine luctu.
Ordo monasticus ecclesiasticus unde vocatur,
Quando rapacibus atque tenacibus assimilatur?
Terra, pecunia, templa, palatia magna parantur,
Unde superbia, quid per inania ludificantur.
Lucifer extulit et deus expulit et cruciatur.
Sed duo crimina per sua nomina nolo notare,
Quae sapientia vel reverentia nescit amare.
Dicere planius est inhonestius, ultro patebit,
Ultro quis audiet, ultro subaudiet, ultro docebit.
Sed dominus meus omnipotens, deus omnicreator,
Insipientibus et sapientibus auxiliator,

Haec prius auferat et bona conferat, ut mereantur,
Spiritualia quaerere pascua, ne moriantur. —

---

21. Id ipsum carmen, quod simul mixti generis et multis modis rimati est, adducit me, ut ejus generis farraginem pro conclusione negotii ne debeam. E. Pertzii Archiv. X. p. 528. habeas:

Gallorum levitas Germanos justificabit,
Italiae gravitas Gallo confuso negabit.
Annis millenis ducentis et nonaginta
Bis denis adjunctis consurget aquila grandis,
Gallus succumbet, aquilae victricia signa
Mundus adorabit, erit urbs vix praesule digna.
Constantine cades, et equi de marmore facti
Et lapis erectus et multa palatia Romae,
Papa cito moritur, Caesar regnabit ubique,
Sub quo tunc vana cessabit gloria cleri.

Petri Abaelardi, mortui 1142. epitaphium (ap. Fabric. V. p. 235):

Petrus amor cleri, Petrus inquisitio veri,
Lingua salutaris turbaeque lucerna scholaris,
Argumentandi sollertia, copia fandi.
Post mundi bella nova fulget in aethere stella,
De mundo fragili sub mense vocatur Aprili.
Eloquii flos, consilii ros, ingenii cos,
Grammaticae fons, rhetoricae pons ac logicae mons,
Ecclesiae lux, justitiae dux inter iniquos,
Gymnasii fax, disciputi pax, justus et insons,
Hinc abiit, sed non obiit nec desiit esse;
Praeteriit, sed non periit, transivit ad esse.
Aspera gens violenter agens super hunc fabricavit,
Christus eum super aethereum jubar exhilaravit. —

Tu das, Bacche, loqui, tu comprimis ora loquacis,
Ditas, deditas, tristia laeta facis.
Concilias hostes, tu rumpis foedera pacis,
Et qui nulla sciunt omnia scire facis.
Multis clausa seris tibi panditur archa tenacis,
Tu das, ut detur, nil dare posse facis.
Das coeco visum, das claudo crura salacis,
Crederis esse deus, haec quia cuncta facis.
Ergo bibamus, ne sitiamus, vas repleamus.
Quisque suorum posteriorum sive priorum
Sit sine cura, morte futura reperitura.

Quos anguis dirus tristi mulcedine pavit,
Hos sanguis mirus Christi dulcedine lavit. —

Daemon agit tumidum, mundus cupidum, caro foedum,
Daemon instinctu, mundus factu, caro tactu. —

In campanam duo disticha:

Aes ego fusile, vas quoque fictile mando juvamen
Ex ope virginis et fugo grandinis omne gravamen. —

Fungera plango, fulgura frango, sabbatha pango,
Excito lentos, dissipo ventos, paco cruentos. —

Flete, perhorrete,	lugete, pavete, dolete.
Flenda, perhorrenda,	lugenda, pavenda, dolenda.
Aetates, anni,	vitium, peccata, tyranni
Currunt, labuntur,	remanet, crescunt, statuuntur.
Virtus, ecclesia,	clerus, mammon, simonia
Cessat, calcatur,	ambit, regnat, dominatur.
Pontifices, reges,	proceres, sacraria, leges
Errant, turbantur,	turbant, sordent, violantur etc.

in Carm. Buran. p. 39.

Diligitur, colitur quem sors illuminat ae }
Spernitur et premitur, qui nulla videtur habe } re.
Si fueris dives, multorum laude frue }
At neglectus eris, si copia nulla sit ae } ris.
Nobilis est } ille, quem virtus nobilit }
Degener est } quem virtus nulla be } avit.

ibid. p. 41.

---

2. DE CARMINUM LYRICORUM, PRAECIPUE STROPHARUM RIMATARUM RATIONE. *

22. Ut rhythmica carmina sine rimo ad varia metra idque prosodia neglecta conficiebantur § 11, ita etiam componebantur carmina quae similem versuum exitum habent. In deliciis erant strophae certorum versiculorum, quorum quisque certum numerum sillabarum habebat, quo melius cantari possent. Motus erat vel trochaicus vel anacrusi unius sillabae adhibita jambicus, unde rarior dactylicus et anapaesticus originem duxit; multae cantilenae certos et more receptos modulos habuisse videntur, quos melodiam nostra tempora nuncupant (p. 91). Rhythmus quaternarius seu *jambicus tetrameter,* quatuor pedum jambicorum, qui bini conjuncti tetrametrum artis metricae efficiunt, habendus est principalis et nativus; est plerumque acatalecticus: ◡ –́ ◡ – ◡ –́ ◡ – (spondaeum locis tantum imparibus recipit). Vulgata fere hymnorum christianorum forma erant strophae quaternorum versiculorum, quorum singuli quatuor jambos habebant, quique bini vel omnes etiam ejusdem exitus erant. **

---

* De poëtarum christianorum metris egit Beda in Putschii Corp. Grammat. lat. Hanov. 1605. 4. p. 2349 — 2382. et dignus est qui conferatur Mutzlii libellus saepe laudatus p. 10 — 31.

** Eas strophas Germanos imitatos esse in aperto est. Pro me dicat Wackernagelius noster Liter. § 30. Die fast durchgängige Form der christ-

Per multum tempus fuisse videtur motus popularis. Hoc rhythmo scriptus est hymnus Sedulii:

A solis ortus cardine
Ad usque terrae limitem
Christum canamus principem
Natum Maria virgine.

(ap. Daniel. p. 143. 144).* et Ambrosii vel S. Fulberti carnotensis, mort. 1028 (ib. p. 222):

Chorus novae Hierusalem
Novam meli dulcedinem
Promat colens cum sobriis
Paschale festum gaudiis.

Venantii Fortunati 2, 7; 8, 13; ap. Dan. 1 p. 159. 169. S. Hilarii arelatensis circ. an. 430 (Baehr Christ. Dicht. § 15) hymni septem ib. p. 1—8. S. Damasi p. 8. S. Ambrosii p. 12—29. 33 seq. Prudentii p. 142. S. Ennodii p. 151. Gregorii Magni p. 178—183. Bedae p. 207. Eugenii toletani saec. VII. p. 352. Pauli Diaconi, mort. 799. ap. Kehrein. p. 175—179. Bernardi mort. 1333. p. 227—230. Bonifacii carmen

---

lichen Hymnen waren Strophen von je vier Zeilen, deren jede wiedernm vier Jamben enthielt, und die, seitdem der Reim stäts üblicher geworden, paarweis oder auch wohl alle reimten; ihr Grund nnd Ursprnng aber lag wohl gleich dem des Reims in der römischen und romanischen Volkspoësie. So war diese Form bekannt genug und hinreichend empfohlen, um jetzt, wo die Geistlichen und Gelehrten sich der deutschen Dichtung anzunehmen begannen, Eingang auch in sie zu finden: es ward die Alliteration gegen den Reim, es ward auch die Strophenlosigkeit der alliterirenden Gedichte gegen die vierzeilige Strophe, es wurden die zwei Hebungen der bisherigen Verse nun gegen vier grammatische Accente vertauscht. etc. coll. Fr. Diez Altroman. Sprachdenkmale p. 88. 89. 109.

* Ea stropha imitatur hymnum Ambrosii ap. Dan. 1 p. 21.

A solis ortns cardine
Et usqne terrae limitem
Christum canamns principem,
Natum Mariae virginis.

quodam incipit (cf. Bibl. Patr. Paris. T. XVI. p. 49. 62. 71. 91. 107):

Vale frater florentibus
Juventutis cum viribus,
Ut florens cum domino
In sempiterno solio.

aliud in epist. 69.

Summum satorem solia
Sedet et qui per aethralia
Alti Olympi arcibus
Obvallatus minacibus.

Hartmanni monachi in coenobio S. Galli circ. an. 870:

Cum natus esset dominus,
Turbatur rex incredulus;
Magi tulerunt munera,
Quos stella duxit praevia.

Erinfredi monachi initio saec. VIII (in Barth. Adv. 32, 12); auctoris carminis saec. XII. ap. Moneum Anzeig. VIII p. 597. Cantilena profana saec. XIII. eorundem modulorum est:

Sol solis in stellifero
Stellas excedit radio,
Sed unica quam diligo
Mihi placet et populo.

aliaque carmina popularia saec. XI. ap. Grimm. Lat. Ged. p. 340 — 380. et Dumérilium. Duobus versiculis longiores sunt strophae Errici seu Herrici altissiodorensis benedictini circ. 980 (cf. Graesse p. 384) in S. Germanum (ap. Barth. Adv. 34, 20). Quaternarius catalecticus seu mutilus ◡ –́ ◡ — ◡ –́ ◡ rarior est. cf. Prudent. hymnus Ante somnum p. 22 — 26. Obbar.

Ades, pater supreme,
Quem nemo vidit unquam,
Patrisque sermo, Christe,
Et spiritus benigne.

Non minus vetustus poësique populari aptus est versus jambicus trimeter catalecticus, cum exitu thetico ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑, unde metrum sapphicum et phalaecium ortum est. Audi Catullum:

Lugete Veneres Cupidinesque
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer deliciae meae puellae,
Quem plus illa oculis suis amabat.

Paulini, discipulus qui erat Ausonii et an. 431. mortuus est, psalmus jambicis senariis constat (ap. Kehrein. p. 114 — 116). En initium:

Beatus ille, qui procul vitam suam
Ab impiorum segregavit coetibus,
Et in via peccantium non manserit,
Nec in cathedra pestilenti sederit. —

Motus trochaicus, qui magna suavitate est et jambico antiquior videtur, nativus principalisque, et rhythmo populari aptus, dimidiatus est curritque alternis versiculis ita ut prior pars habeat pedes quatuor, posterior tres et sillabam, a quo numero pedum integrorum septenarius, quadratus (Gell. 2, 29), Graecis *δημοτικὸς, πολιτικὸς,* trochaicus tetrameter catalecticus dictus est. Quum anacrusin admittat, fit ut formam jambicam praestare possit; et Beda p. 2379. docet hoc metrum recipere omnibus locis trochaeum, spondaeum omnibus praeter tertium. E Romanis confer. Pervigilium Veneris, e Christianis L. Florus, cujus e. g. sunt:

Quándo ponebám novellas | árbores mali ét piri,
Córtici summáe notabam | nómen ardoris mei:
Núlla fit exinde finis | néc quies cupidinis:
Créscit arbor, gliscit ardor, | rámus implet literas. —
Spérne mores tránsmarinos, | mille habent offúcias.
Cive romanó per orbem | némo vivit réctius:
Quippe malim unúm Catonem, | quám trecentos Sócratas.

S. Augustini est (ap. Dan. 1 p. 116. 117):

Ad perennis vitae fontem mens sitivit arida,
Claustra carnis praesto frangi clausa quaerit anima.

Thomae Aquinatis ib. p. 251:

Pange lingua gloriosi corporis mysterium § 11. et parodia ap. Dumér. p. 282. not. 2. et imitatio p. 283. not. 1. Incertorum auctorum De sancto Stephano p. 241. De die judicii p. 194. De S. Agnete p. 309. De S. Nicolao p. 308. coll. p. 316. Guidonis ab an. 1058—1078. episcopi ambiani regulae musicae, ap. Gerbert. Scriptt. de mus. T. II p. 25. Incerti cantus victor saec. XI. ap. Dumér. p. 239—251. in mortem Lanfranci p. 251—255. cantus bellicus p. 275—277. al. — Majore suavitate et forma magis absoluta sunt carmina saeculi XII et XIII: strophae sunt plerumque quatuor versus tredecim sillabarum cum caesura post septimam et rimo feminino. Inveniuntur inter Carmina Burana, edita Stuttgart. 1847. 8. nonnulla ap. Moneum Anzeig. V. p. 447. VII. p. 101—114. 287—297. Duméril. p. 12—16. 202 seqq. quae poëtam eximium produnt Waltherum Germanum, cui etiam cognomen erat archipoëta, abbas, subprior, primas, presbyter, Mapes, Golias (cf. Berlin. Jahrb. f. wiss. Kritik 1845. No. 20. M. Wright Poëms commonly attributed to Walter Mapes). Ejus sunt inter alia:

Equitabant pariter | ambae domicellae,
Vultus verecundi sunt et genae tenellae:
Sic emergunt lilia, sic rosae novellae,
Sic decurrunt pariter duae coeli stellae. —
Tempus transit horridum, frigus hiemale,
Redit quod est placidum tempus aestivale,
Quod quum Amor exigit sibi principale,
Qui Amorem diligit, dicat ei vale. —
Meum est propositum in taberna mori,
Vinum sit appositum morientis ori,
Ut dicant, cum venerint, angelorum chori:
Deus sit propitius huic potatori! etc.

Alii poëtae recentiores, inprimis qui consonantia finali usi sunt, aurium gratia rescisso versu breviores versus vario modo effinxerunt et conspicuos fecerunt. Trium pedum jambicorum est rhythmus Petri Mauricii Monboiserii abbatis cluniacensis ab an. 1122 — 1156. In laudem salvatoris, qui incipit:

A patre mittitur,
In terris nascitur
Deus de virgine;
Humana patitur,
Docet et moritur
Libens pro homine.

trium trochaicorum hymnus in Mariam (ap. Dan. 1 p. 204):

Ave maris stella,
Dei mater alma
Atque semper virgo,
Felix coeli porta.

et cantus funebris ap. Dumér. p. 260 — 266:

Huc ades, Calliope,
Vires mihi suggere!
Carmen fingo lugubre
Nobili de principe.

et alius ib. p. 48. 49.

Novi partus gaudium
Sonet vox fidelium,
Quo lumen de lumine,
Prodiens de virgine
Purgat Adae vitium
Veteri caligine!

Duorum et trium carmen Hartmanni circ. an. 870.

Tribus signis
Deo dignis
Dies ista colitur;

Tria signa
Laude digna
Coetus hic persequitur.*

Et incerti poëtae De S. Francisco (ap. Dan. p. 319):

Decus morum,
Dux minorum
Franciscus tenens bravium.
In te vitae
Datur vitae
Christe redemptor omnium.

coll. versiculis ap. Dumer. p. 342. not. 5. Cantilena potatoria p. 202.

Bibit hera, bibit herus;
Bibit miles, bibit clerus;
Bibit ille, bibit illa;
Bibit servus cum ancilla etc.

Alius hymnus ap. Dan. p. 327. hunc motum habet:

Resonet in laudibus
Cum jucundis plausibus
Sion cum fidelibus:
Apparuit quem genuit Maria.
Sunt impleta
Quae praedixit Gabriel;
Eja eja!
Virgo deum genuit,
Quem divina voluit
Clementia etc.

Saeculi X. De convivio coelitum aliquot loci:

David cytharam percussit
Et Maria tympana,

* Una voce constant versiculi singuli ap. Dumér. p. 16: Veritas, Aeqnitas, Largitas Corruit; Falsitas, Pravitas, Procitas Viguit; Urbanitas Evanuit.

Judith choreas ducebat
Et Jubal psalteria.
Cumque omnes ire vellent,
Rex ait respiciens:
Nunc per omnem nuptiarum
Frequentate vos diem.

Saeculi XIII. (inter Carmina Burana):

Vernum tempus est amoenum
Et amoris melle plenum,
Quidquid est in mundo rerum
Novum fuit ac serenum. —

(ap. Dumér. p. 204. 205).

Vinum bonum et suave,
Bonis bonum, pravis prave,
Cunctis dulcis sapor, ave,
Mundana laetitia. —

Thomae de Celano prosa notissima De die judicii (ap. Dan. II p. 103 seq. cf. Duméril p. 117. not.

Dies irae, dies illa.

et S. Bernardi hymnus ib. 1. p. 232. Metrum trochaicum claudo aliquot Herradae mulieris doctae aetate Frederici Barbarossae De ecclesia Christi versibus:

Cum primo crearet deus ab aeterno
Et pulcre formaret subtus a superno
machinam mundi:
Ex limo surgebat trinitatis norma,
Quam deus providerat — ecclesiae forma
haec sponsa Christi.

Justa stropha sapphica est ap. Dan. 1. p. 321. 322. Kehrein. 1 p. 80. 154. 162. Duméril. p. 297—302. 308—314.

23. *Rhythmus dactylicus* artis metricae inventum est et poësi narratrici cantilenaeque hilari aptus. E septem generibus ejus poësi populari haec nota erant: versus adonius seu dimeter catalecticus, e. g. apud Boethium:

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sidera lumen.

Cujus motus mihi videntur ap. Dumér. p. 423 — 425:

Mittit ad virginem
Non quemvis angelum
Sed Fortitudinem,
Suum Archangelum,
Amator hominis.

et p. 126. not. 2 (in Carmin. Buranis):

Dic ubi Salomon olim tam nobilis,
Vel Samson ubi est dux invincibilis,
Vel pulcher Absolon vultu mirabilis,
Vel dulcis Jonathas multum amabilis?
Quo Caesar abiit celsus imperio,
Vel Dives splendidus totus in prandio?
Dic ubi Tullius clarus eloquio,
Vel Aristoteles summus ingenio?

et p. 179 — 187. ubi e. g.

Uxorem capiens et mortem accipit,
Cum putat vivere tunc mori incipit,
Vivendi taedium in mentem concipit
Et ea mortua vita mox incipit.

et ap. Docen. Miscell. Crit. II p. 192:

Trevir metropolis,
Urbs amoenissima,
Quae Bacchum recolis,
Baccho gratissima,
Da tuis incolis
Vina fortissima.

Dactylicus tetrameter catalecticus, ut Prudentii:

Te, pater optime, mane novo,
Solis et orbita quum media est,
Te quoque luce sub occidua,
Sumere quum monet hora cibum,
Nostra, deus, canet harmonia.

et Damasi De Agatha martyre, ap. Kehrein. 1 p. 24. 25:

Martyris ecce dies Agathae
Virginis emicat eximiae,
Quo sibi Christus eam sociat
Et diadema duplex decorat.

Paroemiacus, apud Boëthium:

Quia | cuncta creata necesse est
Labefacta senescere tandem
Compactaque dissociari
Et dissona texta retexi.

cf. Anthol. lat. Meyer. 989. 990. 991. cum editoris nota p. 30. 31. — Rhythmus *anapaesticus* idem est qui dactylicus, quem praeit anacrusis:

Deus | ignee fons animarum.

unde natura ejus mutata et dactylico contraria facta est. Conf. Prudentii hymnus p. 38—42. Dan. 1 p. 138 seq. Hymnus Ambrosii ap. Dan. p. 29. 30. et alter p. 31. 32. constat tetramet. *choriamb.* asclepiad:

Obduxere polum nubila coeli
Absconduntque diem sole fugato,
Aether dira micat igne corusco
Concussoque tremit cardine mundus,
Coeli porta tonat ruptaque credas
Axis aetherei vincla resolvi.

Choriambici item motus sunt carmen S. Thomae Aquinatis ap. Dan. 1 p. 252: constat ternis versibus asclepiadeis minoribus, quos subsequitur versus glyconeus:

Sacris solemniis juncta sint gaudia
Et ex praecordiis sonent praeconia;
Recedant vetera, nova sint omnia
Corda, voces et opera.

et hymnus Prudentii p. 242—244: constat trimetr. choriamb. glycon:

Insignem meriti virum
Quirinum, placitum deo,
Urbis moenia Sisciae
Concessum sibi martyrem
Complexu patrio fovent.

Alia carmina sunt magis mixti generis et impedita contortaque est ratio eorum, quibus singularis melodia inerat, ut illius ap. Grimm. Lat. Ged. p. 333 — 335. et Duméril. p. 446. 447. 213 not. Hilarius Abaelardi discipulus circ. an. 1130. versum romanum decem sillabarum, cum caesura post quartam sillabam, imitatus videtur: unius consonantiae sunt strophae quatuor versus quibus additus versus gallicus sex sillabarum. e. g.

Lingua serví | lingua perfidiae,
Rixae motús | semen discordiae,
Quam sit pravá | sentimus hodie,
Subjacendó | gravi sententiae,
Tort a vers nos li mestre.

cf. Fr. Diez Altroman. Sprachdenkmale p. 88. 90 seq. 111 seq.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Ad § 1 — 4: De carminibus veterum rhythmicis cf. etiam quae monuit G. Hermannus in Leipz. Lit. Zeit. 1833. No. 5. 6. — Ad § 6. de *annominatione* ita Beda Venerabilis T. VI. p. 84. ed. Lond.: „paronomasia, denominatio dicitur, quoties dictio pene similis ponitur in significatione diversa, mutata videlicet litera vel sillaba, ut in psalmo XXI, 6. juxta hebraicam veritatem: In te confisi sunt et non sunt confusi; et Philipp. tertio (= ep. Pauli ad Philipp. 3, 2. 3.): videte malos operarios, videte concisionem; nos autem sumus circumcisio, qui spiritu deo servimus" etc. Rutilius Lupus 1, 3. haec habet exempla: non enim decet hominem genere nobilem mobilem videri. Qui fuit lucus religiosissimus, nunc est locus disertissimus — non honori sed oneri esse existimavit (sic ludunt Varro

L. L. 5, 10. honos ab honesto onere; itaque honestum dicitur quod oneratum et dictum „onns est honos qui sustinet rempublicam," et Ovid. Her. 9, 31. Liv. 22, 30, 4. Auson. idyll. 4, 98. 99. Sidon. Apoll. ep. 7, 9. ut noveritis hujusmodi assensu multum me honoris, plus oneris excipere). Aquila De figur. 27 (post Rutilium Ruhnkenii p. 170): praetor iste vel potius praedo sociorum; cui quod libet hoc licet (quod adhibuit etiam Cicero pro Quint. 30, 94. Philipp. 1, 13, 33.). Julius Rufin. De schem. lex. 13. p. 236. 237. ed. Ruhnk.: puppesque tnae pubesque tuorum (Virgil. A. 1, 399.). — Ad § 6. p. 26. De *paromoeo* Beda l. l. „qnum ab eisdem literis diversa verba sumuntur, in Psalmo 117, 26. benediximus vobis de domo domini, deus dominus et illuxit nobis;" exemplum e Lupo 2, 12. resistendum est huic non verbis, sed armis. — De *homoeoptoto* Beda p. 85. 86. „quum in similes sonos exeunt dicta plurima, quemadmodum habetur Psalmo 97: cantate, exultate et psallite; et Ezechielis 18. quod si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem, et paulo post in montibus comedentem et uxorem proximi sui polluentem, egenum et pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem et ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem, ad usuram dantem et amplius accipientem, numquid vita vivet?" E Lupo 2, 13: in rebus adversis cui praesto est consilium, non potest esse auxilium; item Sosicratis: nam qui secundis rebus libenter assentiuntur, iidem simul ac se fortuna contristaverit, primi insidiantur (e Graeco προσστίθενται, ἐπιτίθενται). Ex aquila 25. huic igitur socios vestros criminanti et ad bellum vos cohortanti et omnibus modis, ut in tumultn essetis, molienti: De *homoeoteleuto* Beda p. 84: „Similis terminatio dicitur figura, quoties media et postrema versus sive sententiae simili sillaba finiuntur, ut Ecclesiastici sexto: melius est videre quod cupias, quam desiderare qnod nescias, et iterum septimo: melius est a sapiente corripi quam stultorum adulatione decipi. Hac figura poëtae et oratores saepe ntuntur; poëtae hoc modo: pervia divisi patuerunt caerula ponti; oratores vero ita: beatus Job deo soli sibique cognitus in tranquillitate, ad majorem notitiam perducendus, tactns est verbere, ut odorem suarum virium tanto latius spargeret, quantum more aromatum melius ex incensione fragraret. Quo schemate ipse qui hoc dixit beatns papa Gregorius saepissime usus fuisse reperitur. Et hujusmodi orationes esse reor, quas Hieronymus concinnas rhetorum declamationes appellat" (cf. supra § 3). E Lupo 2, 14: non multitudine hominum, sed severitate legum. Ex aquila 26. in muros statim curritur, exercitus a sociis arcessitur, delectus juventuti denunciatur. *Isocoli* exempla apud Lnpum 2, 15. nequaquam mihi dives est, quamvis multa possideat, qui neque finem habet cupiendi neque modum statuit utendi; nam et multnm desiderare egentis est signum et nihil parcere egestatis est initium. Cic. pro Mur. 20, 41. sapiens praetor offensionem vitat aequabilitate decernendi, benevolentiam adjungit lenitate audiendi. Ex Aquila 23. classem speciosissimam instruxit, exercitum pulcerrimum et fortissimum elegit. Neque gratia et divitiis locnpletum corruptus neque minis et denunciatione potentum perterritus neque difficultatibus et magnitudine rei a proposita magnitudine dejectns.

Pag. 37. lin. 28. corr. aliud. p. 40. lin. 22. altera. p. 51. l. 22. rustica. p. 66. lin. pen. Alemanniae. p. 72. l. 8. caesura.

RASTADII TYPIS GUILELMI MAYER, 1851.

97